


PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXII (Fasc. III) — N. 179
M. SEPTEMBRI — A. MCMLXII

PALAEstra LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetas; in Gallia: 8 francs; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 markis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAEstra ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallie: 2'5 francs; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 markis; in reliquo civitatibus: 0'50 dollars.

Premium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA (10)
vel ad PROCURATORES singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXXII (Fasc. III) N. 179

M. SEPTEMBRI A. MCMLXII

N. MANGEOT, <i>Aurelius Prudentius, poëta hispanus</i>	377
AE. ORTH, <i>De Petronio</i>	383
A. AVENARII <i>de studio linguae latinae adnotatiunculae</i>	387
F. M. BRIGNOLI - F. ALOISE, <i>Smaragdus — Lo smaraldo</i>	390
Epistularum inter socios commercium:	
EICHENSEER - MIR	408
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: De grammophono</i>	410
J. ARAMENDIA, <i>Per Orbem</i>	418
Bibliographia, I. GONZALEZ, MARQUES, PHILOPONUS, J. ARAMENDIA, MOLINA, TEJERINA	422
PALAEstra ADULESCENTIUM	
C. M. Dolcimascolo, <i>Quam Patris figuram prae se ferat Joannes Pontifex Maximus</i>	429
E. Trilla, J. Juvés, J. A. Labalsa, X. Saigi, J. Boronat, <i>Barbae Caeruleae fabella</i>	430
Consolatrix afflictorum	433
G. Campo, <i>Cyrus rebellionis signum extulit. - Abacus veneficus. - R. Vera, Lepus et canis. - M. E., Priscarum rerum gestorum memoria</i>	434
C. Francis, <i>Piper et sal. - Pecten. - V. Ruiz, Leo exercitum sibi instruit. C. Latorre</i>	435
Decius Consul pro exercitu Romano se diis devovet	436
R. Sarmiento, <i>Sciurus superbus</i>	438
Scalae sublimes - M. Iturria, <i>Via recta. - M. Martínez</i> , Morbo subito correptus. Archidamus - A. Andrés, <i>Triangulus magicus</i>	439
S. Morris, <i>Stella bella mi mica. - Solutiones. - N. Mangeot, Theodorus Mommsen. - A. López, In Caupona - J. Funes</i>	340

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXII (FASC. II) — N. 179

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXII

Aurelius Prudentius, poëta hispanus

Hispania, unde haud pauci viri illustrissimi prodierunt —Martialis, Trajanus, Hadrianus, Theodosius— Prudentio quoque erat patria, qui inter quarti et quinti saeculi poëtas christianos principem obtinet locum. Editus in lucem anno 348 Salia consule, pueritiam agebat regnante Constantino Ariano et Juliano Apostata. Sub Valentiniani et Gratiani imperio oratoria absolvit studia, ad quae indolem insolitam et industriam afferebat. Nam carmina postmodum edita suimam litterarum notitiam et admirabilem in omni classicae poësis genere dexteritatem ostendunt. Juris quoque disciplina bene informatus ad rem publicam accessit et Hispaniae utriusque provinciae praefecturam nactus Theodosio imperatore Praetorio praefectus est factus rerum religiosarum Urbisque historiae maxime peritus. Quae de ejus vitae cursu constant, ea ex carminibus eluent, praesertim ex praefatione, quam iis collectis praemittit. Nec immerito poëtae «confessiones» dicuntur.

Hoc docuit toga

Infectum vitiis falsa loqui, non sine criminе.

Tum lasciva protervitas et luxus petulans

Foedavit juvenem nequitiae sordibus ac luto. *PL* 59, 769, 8-12.

Quo carmine vanitatem vitae praeteritiae pio dolore respicit et quod reliquum erat vitae tempus soli divinae laudi ac religioni se impensurum promittit. Notandum autem est poëtam errata ineuntis adolescentiae exaggerasse ut et fecit St. Augustinus, cum pomoruin furtum memoret. Tempora enim turbulenta erant, fides vera ubique cum paganismo et haeresi potissimum Ariana luctabatur, mores ethnici pessimí grassabantur et multos christianos in vitiis abripiebant. Elucet quoque ex carminibus vatis tam clara dogmatis

christiani intellegentia, tantum fidei verae studium ardens tantaque vitae christiana et ascensis cognitio, ut a puero in vera religione adolevisse sit dicendus.

Percurramus, quantum per spatii angustias licet, singillatim auctoris carmina. Nihil enim oratione soluta scripsit.

Statuerat sibi die ac nocte Deum laudare. Quod exsequitur carmine quod «Cathemerinon», inscripsit, id est corpus hymnorum ad diversa «officia divini» tempora, ad dies certos ac festa ecclesiastica accommodatum, habetque duodecim hymnos. Incipit a «gallicinio».

Ales diei nuntius lucem propinquam praecinit,

Nos excitator mentium jam Christus ad vitam vocat. 1-4.

Hymno «matutino» ortum solis demonstrat adventum Christi solis justitiae:

Nox et tenebrae et nubila confusa mundi et turbida,

Lux intrat, albescit polus, Christus venit, discedite. 1-4.

Hymnus «de novo lumine» venustissimis excellit imaginibus et ad Sabbati Sancti liturgiam alludit.

Inventor rutili, dux bone, luminis,

Qui certis vicibus tempora dividis,

Merso Sole chaos ingruit horridum,

Lumen redde tuis Christe, fidelibus. 1-4.

O res digna, Pater, quam tibi roscidae

Noctis principio grex tuus offerat

Lucem, qua tribuis nil pretiosius,

Lucem, qua reliqua praemia cernimus. 149-152,

Hymno «ante somnum» summa arte poëtica somnum terroresque nocturnos illustrat.

Fluxit labor diei redit et quietis hora,

Blandus sopor vicissim fessos relaxat artus. 9-12.

Vanae minentur umbrae, cultor Dei memento

Te fontis et lavacri rorem subisse sanctum...

Fac, cum vocante somno castum peti cubile,

Frontem locumque cordis crucis figura signet. 124-133.

Sequuntur duo in tempus Quadragesimale carmina, quibus jejunium Mosis, Eliae, Ninivitarum Joannisque laudatur et ipsius Christi, de quo dicitur:

«Emancipator servientis plasmatis, regnantis ante victor et cupidinis».

Adjungitur carmen «omni hora canendum», in Natalicia et Epiphaniam Domini, ex quibus partes quaedam in liturgiam transiere. Si scire velis quantus sit poëta lyricus, lege.

Audit tyrannus anxius adesse regum principem,

Qui nomen Israël regat teneatque David regiam.

Exclamat amens nuntio: Successor instat, pellimur,
Satelles, i, ferrum rape, perfunde cunas sanguine. 93.99.

Salvete, flores Martyrum, quos lucis ipso in limine
Christi insecuror sustulit, ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima, grex immolatorum tener,
Aram sub ipsam simplices palma et coronis luditis. 125.132.

Quid proficit tantum nefas? Quid crimen Herodem juvat?
Unus tot inter funera impune Christus tollitur. 133.136.

Proposuerat sibi auctor, ut adversus haereses gliscentes pugnaret fidemque catholicam exponeret: dogma Christi, protoparentum casum et peccatum, Redemptionem, nostram in malum luctam. Fovebant enim Romani carmina, quae de praceptoribus moralibus erant. Memento Lucilii, Lucretii, Flacci. Quis igitur veterit Prudentium nobilissima Christi mysteria ab haereticorum irrisu defendere? Atque primum carmen «Apotheosis» inscriptum Sanctissimae Trinitati et Redemptioni dedicat. Audias velim grande exordium, Dante poëta vere dignum.

Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus,
Corde Patris genita est Sapientia, Filius ipse est.

Sanctus ab aeterno subsistit Spiritus ore.

Tempore nec senior Pater est nec numine major.

Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se,
Per quod semper erat gignenda ad saecula Verbum.

Edere sed Verbum Patris est, at cetera Verbi,

Assumptum gestare hominem, reparare peremptum
Conciliare Patri dextraque in sede locare. 1.9.

O nomen praedulce mihi, lux et decus et spes
Praesidiumque meum, requies o certa laborum!

Blandus in ore sapor fragrans odor, irriguus fons,

Castus amor, pulchra species, sincera voluptas! 392.396.

Christus nostra caro est, mihi solvitur et mihi surgit,
Solvor morte mea, Christi virtute resurgo. 1047.1049.

Nonne et nos versibus his abripimur?

Pellite corda metum, mea membra, et credite vosmet

Cum Christo redditura Deo; nam vos gerit ille

Et secum revocat; morbos ridete minaces,

Inflictus casus contemnite; taetra sepulcra

Despicite, exsurgens quo Christus provocat, ite. 1081.1085.

Secundo carmine dogmatico «Hamartigenia» — ortus peccati — protoparentum peccatum et mala pessima inde orta canit.

Ipsa quoque oppositum destructo foedere certo

Transcendent elementa modum rapiuntque ruuntque

*Omnia, legirupis quassantia viribus orbem.
Frangunt umbriferos aquilonum proelia lucos
Et cadit immodicis silva extirpata procellis.* 236-241.

Vide carnis in spiritum rebellionem:

*Suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa voluptas
Diffusat, impuro fervescat ut igne libido.* 252-254.
*Auri namque fames parto fit major ab auro.
Inde seges scelerum radix et sola malorum.* 257-259.

Tertio carmine dogmatico •Psychomachia —animae pugna— vates liberi arbitrii pondus ac momentum et accerrimam boni malique de anima pugnam describit, cum animam, virtutes ac vitia quasi personas allegoricas inducit.

Ecce modesta gravi stabat Patientia vultu. 109
*Nulla anceps luctamen init virtute sine ista
Virtus; nam vidua est, quam non Patientia firmat.* 177, 178.
*Justitia est ubi semper egens et pauper Honestus,
Arida Sobrietas, albo jejunia vultu,
Sanguine vix tenui Pudor indefessus, aperta
Simplicitas et ad omne patens sine tegmine vulnus.* 243-247.
*Exstinctum vitium sancto Spes increpat ore,
Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum.
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.* 284-286.

Animadverte, qua arte poëtica vates luxuriam pingat:

*Luxuria, exstinctae jam dudum prodiga famae,
Delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
Perdita deliciis, vitae cui causa voluptas,
Elumbem mollire animum, petulanter amoenas
Haurire illecebras et fractos solvere sensus.* 311-315.

Ne Ovidius quidem melius pingere potuit; sed hic ut alliceret, ille ut deterret.

*Atque ubi peccatum regnaverat, aurea templi
Atria constituens, vexat spectamine morum
Ornamenta animae, quibus oblectata decoro
Aeternum solio dives Sapientia regnet.* 912-915.

Psychomachia omnium operum gratissimum erat medii aevi scriptoribus ipse praecursor poëmatum allegoricocum, quae Lope de Vega et Calderon ad summam absolutionem perfectionemque adduxerunt.

Martyribus romanis, afris et hispanis •Peristephanon• librum dedicavit.
Eligamus e carmine Principum Apostolorum versus aliquot illustres.
*Plus solito coeunt ad gaudia, dic amice, quid sit,
Romam per omnem cursitant ovantque.
Festus apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.*

Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno,
Vidit superba morte laureatum. 1-6.

Prima Petrum rapuit sententia, legibus Neronis
Pendere jussum praeminente ligno. 11-12.

Emovit in jugulum Pauli Nero fervidus furorem,
Jubet feriri gentium magistrum. 23-24.

Laurentius flammis torretur.

Postquam vapor diutinus decoxit exustum latus,
Ultro e catasta judicem compellat afflatus brevi:
Converte partem corporis satis crematam jugiter
Et fac periculum, quid tuus Vulcanus ardens egerit.
Praefectus inverti jubet. Tunc ille: Coctum est, devora,
Et experimentum cape, sit crudum an assum suavis. 391-408.

Praetereamus duos in Symmachum paganum, paganisimum restituere
conantem, libros numeris quoque compositos, quibus finem imponit:

«Juvabit ore personasse Christum,
Quo regente vivimus».

Denique ponamus pauca e libro «Dittochaeo». Continet quadragesima
novem carmina, quae quaternos habent versus hexametros.

Eva columba fuit tum candida, nigra deinde
Facta, per anguineum malesuada fraude venenum.
Tinxit et innocuum maculis sordentibus Adam,
Dat nudis ficalna draco mox tegmina victor. 1-4.

Invictum virtute comae leo frangere Samson
Agreditur; necat ille feram, sed ab ore leonis
Mella fluunt... 65-66.

Adventante Deo descendit nuntius alto
Gabriel Patris ex solio sedemque repente
Intrat virgineam: Sanctus te Spiritus, inquit,
Implebat, Maria, Christum paries sacra Virgo. 97-100.

Christum non tenuit saxum, non claustra sepulcri,
Mors illi devicta jacet, calcavit abyssum. 169-170.

Est Prudentius in omni rei metricae genere versatissimus, poetas omnes
penitus novit, vocabulorum copia et versuum varietate et elegantia Horati
facile aequat et forma lyrica et indole epica memoriam «Epiniorum»
Pindari affert. Quam scite diversa anni tempora describit, varias mortalium
sortes, gentium diversitatem ac religionum, quarum una sola ad salutem du-
cat, cum extra eam tot sint calles quot sunt religiones ac di. Rectam ad Deum
viam initio esse arduam et asperam, sed quo quis ulterius progrederiatur, amoe-
nam fieri et facilem, cum falsae se magis diffundant et tandem in exitium fe-
rant.

Auctori tamen probro vertitur quod Martyrum tormenta ac cruciatus ita pingat ut animos magis deterreat quam oblectet. Sed silentio praetereundum non est poētam iis versus fecisse, qui ludis amphitheatri crudelibus essent assuefacti, nec cruciatus pingere potuisse, quin rei atrocitatem vivis pingeret coloribus. Nam hoc solum modo invicta Martyrum in tormentis patientia et constantia ante oculos obiciebantur, et molli ac lascivae poētarum imperii romani amatoriorum poēsi efficaciter opponebantur.

Id quoque Prudentio obicitur quod argumenta carminum fusius solito exponat et ipsa carmina ea, qua auctores classici excellant, concinnitate careant. Sed ea aetate pulchri sensus multum hebescebat. Ex omnibus, qui tunc temporis erant vates, solus Prudentius ad antiquos proxime accessit. Recessit quidem vitiis metricis, versus extremos syllabis consonantibus (*rimas*) faciendo, voces insolitas adhibendo a genere classico; tamen id rei novitas postulat et excusat. Volebat enim auctor operibus poētarum ethnicorum classicis opera aliquo modo paris dignitatis opponere atque notiones seu ideas christianas iis doctorum circulis inferre, qui vel ea aetate ex carminibus classicis animi victum quaerere solerent.

Fuere, ut finem lucubrationi imponam, Prudentii opera fons sane uber, unde veri ac pulchri expositionem aetates insequentes haurirent. Tum demum vatis hispani auctoritas minui incipiebat, cum nato «Humanismo» rerum catholicarum studia paulum refrierant atque paganismi classici veneratio et cultus latius in dies propagabatur et multorum animos sibi conciliabat. Sed litterae latinae Prudentium nobilissimum poētarum christianorum principem et antesignanum agnoscent semper atque colent.

N. MANGEOT, S. J.

DE PETRONIO

(1 · 66)

Petronius Arbitr̄ aequalis fuit Senecae (1·65) philosophi; uterque Neronis jussu mortem sibi ipse concivit, postquam libellum contumeliosum contra imperatorem composuit: Petronius contra Neronem, Seneca «Apocolocytosin» contra Claudium. Auctor «Satararum» ille notissimus a Tacito dignus habebatur, qui ex insuetis morib⁹ et rara īdole in «Annalibus» lib. 16 c. 17·19 longius hoc modo describeretur:

17. «Paucos quippe intra dies eodem agmine Annaeus Mela, Cerialis Anicius, Rufrius Crispinus ac *Petronius* cecidere».

18. De C. *Petronio* pauca repetenda sunt; nam illi dies per somnum noctis officiis et oblectamentis vitae transigebatur; utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat habebaturque non ganeo et profligator ut plerique sua haurientium, sed eruditio luxu; ac dicta factaque ejus quanto solutiōra et quandam sui neglegentiam praeferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur; pro consule tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit; dein revolutus ad vitia seu vitiorum imitatione inter paucos familiarium Neroni adsumptus est elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle affluentia putat nisi quod ei Petronius adprobavisset; unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potiorem; ergo crudelitatem principis, cui ceterae libidinis cedebant, adgreditur, amicitiam Scaevini Petronio objectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione et majore parte familie in vincla rapta.

19. Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar (=Nero) et Cumas usque progressus Petronius illic attinebatur; nec tulit ultra timoris aut spei moras; neque tamen praeceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursum et alloqui amicos non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret; audiebatque referentes nihil de immortalitate et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus; servorum aliquos largitione, quosdam verberibus affecit; iniit epulas, somno indulxit, ut quamquam coacta mors fortuitae similis esset; ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est; sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitatem cujusque stupri perscripsit atque obsignata misit Neroni; fregitque anulum ne mox usui esset ad facienda pericula».

Etiam Plinius in «Historia Naturali» 37, 20 eundem Petronium propter ejus luxuriam commemoravit; iste «arbiter elegantiae» eximio ingenio praeditus mores et consuetudines aequalium enarravit; ingenti enim industria et cupiditate impulsus incredibilis res ad epulas et potionē exornandas

invenit; intemperantiae morum ad summum eorum gaudium exquirebantur, qui ad hujusmodi conventus invitabantur; singulari facultate excogitandi praeditus ejusmodi imagines creabat, quae etiam ut picturae in villis divitum Pompejanis quasi perennes deliciae repraesentari poterant, nam Petronius ipse homo vere opulentissimus monstruosis rebus tantopere oblectabatur; singulari volubilitate mentis cogitationisque sales atque cavillationes comicas prodidit et tot ostenta prope miraculosa finxit. Opus autem quo Petronius fabulas saturasque morales exposuit, «Satiricon» inscribitur oratione soluta et versibus variis mixtum, quod litterarum genus «prosimetrum», dicitur, ut olim Menippus Gadarensis (c. 250 a. Chr. n.) graece et Lucilius (c. 180-102) latine saturas confecerunt; hoc opus Petronii sedecim libros complexum esse eadem amplitudine ac Taciti «Annales» traditur; finis illius poëmatis satirici in eo erat, ut mores humani deteriores et usus vivendi inter divites et pauperes, liberos et servos, viros et feminas una cum rebus protervis manifeste ostenderentur. Elocutio quidem Petronii saepius dictionem plebis romanae reddit; versus tamen cultissimi sunt et summam venustatem prae se ferunt; ille carminum artifex profecto cum Ovidio de gloria metrica ratione scribendi certare poterat; nullo metu impediabatur, quominus omnia proba et improba honesta et inhonesta diceret¹; nulla reverentia urbanitatis prohibentur. Inter omnes illa pars eminet saturarum quae «Cena Trimalchionis», appellatur, quae satis recenti memoria in theatris principum Europaeis bis acta est; quin etiam in fabula romana «Quo vadis», partim Petronii laus redintegratur. Pars rerum hujus artificii satirici Puteolis, in portu prope Neapolim sito, geritur, quo innumeri homines ex Oriente adveniebant; ibi tot occasiones ridiculae atque monstruosae et inopinatae inveniebantur et multae dialecti graecae audiebantur; quapropter etiam Herodianus grammaticus anno 150 fere p. Chr. n. in eadem civitate Puteolis «symposion» scripsit, quo singulae res diversis linguis in colloquiis explicari videbantur (cfr. STEPHANUS BYZANTIUS, p. 230, 20). Illud municipium Puteoli non tantum portu amplio praeclarum, sed adventibus quoque creberrimis hominum litteratorum, grammaticorum, philosophorum graecorum et asianorum praestans fuit; multique Romani divites nobilissimique ibi villas et praedia habebant, ubi vires animi et corporis reficerent. Petronii descriptiones morum quasi praestigiarum plenae perbene ex Epicurea «hedonismi» disciplina intelleguntur; a Petronio ipso Epicurus «pater veri» (c. 132) laudatur ejusdemque Epicuri facetissima ratio (c. 104) praedicatur, qui sectae Epicuri haud dubie ad-

1. Notent igitur juvenes —ne verborum et stili elegantia decipientur— quae cl. v. Thomas Vallaurius prudenter de Petronio scripsit: «Nisi castiores aures rerum obscenitate offenderentur, nihil fortasse venustius esset hac Petronii opella, in qua, aptis omnino verbis multoque acumine, hominum mores et ingenia describuntur, eaque dictionis elegantia, quam in reliquis argenteae aeratis scriptoribus frustra requiras» (*Hist. Crit.*, III. c. IV. 3).

haeerebat tamquam «Epicuri de grege porcus» (ut ait Horatius, *epist.* 1, 4, 16); carmen Lucretii nosse videtur quod ex imitatione nonnullorum versuum suspicari licet; etiam ex eo, quod Petronius animo a ratione Stoica dissidebat (c. 132, 15), documento potest esse auctorem harum saturarum «hedonismo» Epicureo fuisse.

E reliquiis et fragmentis hujus praestantis operis non pauca dicta moralia propono, quae infra appendicis instar litterarum ordine adjunguntur.

SENENTIAE

- Ubicumque dulce est, ibi et acidum invenies* (56).
- In angustiis amici apparent* (61).
- Antiquus amor cancer est* (42).
- Aqua dentes habet et cor nostrum cotidie liquecit* (42).
- Clausum possidet arca Jovem* (137).
- Artificium numquam moritur* (46).
- Inops audacia tuta est* (119).
- Ubique medius caelus est* (45).
- Sua cuique res est carissima* (15).
- Neque uila caro per se placet, sed arte quadam corruptitur et stomacho conciliatur averso* (141).
- Cito fit quod di volunt* (75).
- Numquam recte faciet, qui cito credit utique homo negotians* (43).
- Commune est, quod natura optimum fecit* (100).
- Corcillum est, quod homines facit, cetera quisquilia omnia* (75).
- Color arte compositus inquinat corpus, non mutat* (102).
- Quidquid discis tibi discis* (46).
- Qualis dominus, talis et servus* (58).
- Nec turpe est, quod dominus jubet* (75).
- Factum, non fabula* (76).
- Suam habet Fortuna rationem* (82).
- Fortuna (=Fors): rerum humanarum divinarumque potestas,*
Fors, cui nulla placet nimium secura potestas,
quae nova semper amas et mox possessa relinquis (120).
- Habes, habeberis* (77).
- Valde falsum est vivo quidem domos cultas esse, non curari eas, ubi diutius nobis habitandum est* (71).
- Homines sumus, non dei* (75).
- Quam totus homuncio nil est!* (34).
- Nihil est tam arduum, quod non improbitas extorqueat* (87).
- Amor ingenii neminem unquam divitem tecit* (83).
- Nemo invitatus audit, cum cogitur aut cibum sumere aut vivere* (111).

- Qui ignotos laedit, latro appellatur; qui amicos, paulo minus quam parricida* (107).
- Nihil melius est quam sine turba lavari* (73).
- Quam male est extra legem viventibus! quidquid meruerunt, semper especiant* (125).
- Ubi arma non sunt, libere loquor* (91).
- Litterae thesaurum est* (46).
- Manus manum lavat* (45).
- Medicus nihil aliud est quam animi consolatio* (42).
- Mulier, quae mulier: milvinum genus!* (42).
- Mulieres si non essent, omnia pro luto haberemus* (67).
- Ubique naufragium est* (115).
- Magna navis magnam fortitudinem habet* (76).
- Grandis et pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit* (2).
- Bonae mentis soror est paupertas* (84).
- Nemo nostrum non peccat* (75).
- Sibi quisque peccat* (45).
- Oportet etiam inter cenandum philologiam nosse* (39).
- Tardum est differre, quod placet* (10).
- Populus est domi leones, foras vulpes* (44).
- Calda potio vestiarius est* (41).
- Quam in praecipiis res humanae sunt!* (54).
- Nihil est magnificentum, quod pueris placet* (4).
- Quidquid quaeritur, optimum videtur* (93).
- Adeo nihil est commodius quam semper cum sapientia loqui* (140).
- Nemini nihil satis est* (76).
- Senatus recti bonique praceptor* (88).
- Sol omnibus lucet* (100).
- Nemo nostrum solide natus est* (47).
- Neque generosior spiritus vanitatem amat neque concipere aut edere partum mens potest nisi ingenti flumine litterarum inundata* (118).
- Longe fuit, quisquis suos fugit* (123).
- Quantum quisque timet, tantum fugit* (123).
- In molle carne vermes nascuntur* (57).

AEMILIUS [EMIL] ORTH

Andreae Avenarii de studio linguae latinae adnotatiunculae

III. Age pergam narrare, quomodo ad descendam linguam latinam paruerim, vel parendum putem, primo paecepto meo «multum ut legerem». Nam dabis ultro neminem unum scire linguam latinam posse, nedum quisquam ea uti possit, nisi petat ex libris, quandoquidem nulla hodie in mundo superest terra sermone latina. Quin etiam, qui eum sermonem quo in bracchiis matris et in cunis assuefacti sunt, perpolire student, libros legere coguntur patrio sermone scriptos non solum in scholis verum etiam, cum dudum scholas frequentare cessaverunt. Quo igitur alio modo linguam perdiscas latinam, nisi multum et multa legendo?

Itaque hac me curiositate natura instruxit, ut ubicumque oculi mei incidissent in latina, ea mihi legenda et intellegenda statuerem. Tam vero multa nos legimus, tam paucis grammaticae annis —nam quinque vel sex annis ea studia absolvebantur— ut hodie plane mirer tam multis libros tam brevi tempore decurrere pueros potuisse. Legimus Nepotis vitas et nonnullos Caesaris commentarios, selectas Ovidii partes, partes Livii, quosdam libros Aeneidis, tum vero complures Ciceronis orationes et satis multas odas Horatii. Postea lyceum ingressi et per theologiae annos etiam amplior copia erat librorum; memini tum me legere opera Lactantii et quae-dam S. Augustini et S. Hieronymi aliorumque Patrum, opera Ciceronis philosophica et oratoria. Illis isdem annis coepi legere Plautum, postea Terentium. Procedente deinde tempore in loculamentis meis haud spernendus numerus librorum a veteribus auctoribus scriptorum conditus est. Nam dono acceptus Vitruvius et Gellius, emi epistolas Plinti, totum Tacitum, Livii libros decem; sunt ad manum opera Plauti et Horatii, tragediae Sencae, Vellejus Paterculus, Florus, Catullus, Propertius, Syrus, Phaedrus, Juvenalis, Minucius Felix Octavius, postremo Romae dono accepi Arnobium et Sencae Apocolocyntosin. Habeo praeterea Erasmi colloquia (haec tamen mutuo petita), quasdam epistolas Pii Papae II, et Epistolarum clarorum virorum librum, odas Baldae et Sarbievii opera poetica et alia, quae enumere et longum est neque nunc necesse.

Ne tamen credideris perlegisse me illa omnia. Legi in omnibus et data occasione legere pergo, quippe qui statuerim semper eum qui discere linguam latinam velit quam plurimorum scriptorum et antiquorum et recentium cognoscere debere stilum coloremque sermonis, colligere debere eorum vocabula, si qua reppererit sibi nondum nota, unum deinde sibi proponere,

cujuſ ſe velit quam ſimillimum. Sed oro te, quem in lingua latina invenies elegantiorem copiosioremque Marco Tullio? Cujus libri cujuſlibet sermonis generis perfectissima offerunt exempla, et ſemper exulta et numerosa fertur oratio. Non igitur miraberis hujus opera coryphaei inter ceteros libros profanos meos insignem tenere locum et me cotidie unam alteramque paginam degustare Ciceronis. In praesentia nova me oblecto lectione epiftolarum ejus, et exerior ipſe, quam recte quidam affirmaverit oratorium Ciceronis ingenium vel ex ejus commendatiis epiftolis agnisci. Ipsarum autem epiftolarum ſensus fit planior illis adnotationibus historicis, quas inter interpretes Metzler, doctiſſimus vir, ſuppeditat. Post epiftolas redibo ad philosophica et ad oratoria Ciceronis ſcripta et eſt mihi persuasum neminem posſe atte-nte meditari Marci Tullii orationes, quin ipſe quaſi manu prehendat, quid ſit in contione dicere. Segnerius certe et Bossuetus didicerunt a Cicerone verbum Dei tam dextere tractare apud greges fideliū.

Neque vero legens Ciceronem Terentii aut Plauti obliviscor, qui mihi ostendunt cotidiani sermonis formas eximuntque formidinem novandi, ubi non ſint idoneae rerum, voces latinas.

In legendis autem libris antiquorum, latinis praesertim, non una incedi video via. Quidam, robustiores fere homines, ubi inciderunt in locos, quo-rum non perspiciant ſenſum, non ante pergunt legere, quam, quid ibi dici videatur indagarint; alii minus obſtinati ſatis eſſe putant incognita ad id tempus vocabula transcribere in codicillos vel in foliola chartacea poſtea mandanda memoriae et persequi lectionem. Nam comperta reſ eſt, quae primo obscura manserant, identidem lecta clarescere. Hoc mihi ipſi accidit relegenti Ciceronem, Plautum, Terentium. Nam perspicua et aperta hodie videntur, quae eadem ante annos opaca erant!

Itaque vides non male stratam viam mihi fuſſe in 'thesaurum incompara-nande praestantiae' et 'lamentabili mentis squalore' jam minus laborare potui, ſi in coepita via meo commodo incedere potuſſem. Dicam fortasse alias, quae hodie, decrescente jam per ſenectutem memoria, relinquere cogar intentata. Facile tamen credes ea quae nuper a Pontifice noſtro Joanne de stu-dio uſuque linguae latīnae coniūta ſunt, et mihi et 'basilicae linguae, amantibus dulce fuſſe melos et quaſi diuinam antiquorum conaminum noſtrorum approbationem.

Avenarius P. Joseph Mirio, C. M. F., S. D.

Allata Epistula tua Salmantica timere coepi, ne tu, quae edi cuperem, si modo ederentur, in duobus fasciculis, in unum compegisses. Sic vere factum ipse fasciculus anni hujus primus demonstravit. Nec tamen potui commode prosequi coeptum sermonem ante hunc diem, et oro te, ut etiam sic contentus sis. Si sero venerint adnotatiunculae nec potuerint fasciculo secundo inseri, succedet tertius fasciculus eo opportunius, quod proximus etiam hortatu Cardinalis Praefecti illius laudes sonabit *Sapientiae Veterum*, de qua, ut ipse scribam: admones. Sed credo non esse necesse me scribere, cum PALAESTRA LATINA ipsa exsultet documento Pontificio sua studia, suum laborem comprobante. Me maxime delectat quod Sanctissimus sancit sub n. 5, ut scilicet, qui prae linguae latinae ignoratione expediti ipsi non sint, in eorum locum doctores ad hoc idonei gradatim sufficientur. Nam video optime praceptorum impedimentum hoc maximum esse, quod hodie non sunt satis multi periti latinitatis magistri. Jiménez Delgado vester optimo in illo Lugdunensi coetu exposuit formandos esse magistros latinae linguae, si volumus reflorescere linguam latinam. Restituantur oportet gymnasia humanaiora pro realibus, quae dicuntur, gymnasiis, in quibus quae ad terram et ad conflandam pecuniam pertinent potantur, quae ad spiritum percolendum veramque humanitatem faciunt negleguntur. Possum disertus esse, sed monet hora, ut adducam habenas. Te cotemplari cum invidia «domum pacis, reconditarum meditationum, impensi studii domicilium, * o, si tu scires, quam fortunatam insulam ista tibi imago ostenderet, quam tu cito ejusmodi phantasiae ebullitiones comprimeres. Impensi studii domicilium tuum mihi propemodum excutit lacrimas. Juventus germanica, et fortasse etiam aliarum nationum juventus, per nazismum didicit educare educatores. Saepe, qui praeesse debent et decernere, quid faciendum: quid velit, quid gratum habeat juventus speculantur et, mutatis et inversis partibus, qui subesse legibus naturae et gratiae debent, regunt. Hoc 'saeculuni' est nobis ex superiore saeculo superstribus intolerabile. Sed video etiam in hac materia adducendam habenam esse et scribendi faciendum finem. Tu igitur cura ut valeas, neque obliviscaris illud sapienter dictum, inclusum hexametro: «Pluribus intentus minor est ad singula sensus». Verum hoc esse ipse fateberis.

Tirschenreuth/Opf., d. 23 m. Maji, a 1962.

* Refert verba Moderatoris, qui Salmanticaem commorans, ad P. Avenirium scripsérat

S M A R A G D U S
C A R M E N
FERNANDI MARIAE BRIGNOLI
ANNO MCMLVII
IN CERTAMINE POETICO HOEFFTIANO
PRAEMIO AUREO ORNATUM
Cum TRANSLATIONE ITALICA NUMERIS ASTRICTA
FRANCISCI ALOISE

I. *Faber*

Panditur in gyrum vitrea de lampade lumen:
ulteriora loci concolor umbra tenet.
In tabula passim lucent fabrilia: dura
caela, avidae limae pergracilesque stili,
frustula —sunt mire nam cuncta minuscula— fulvae 5
lamnae, acres terebrae malleolusque teres
scalpraque forficulaeque dolabellaeque sonorae,
rasile ad aurificis tornulus aptus opus.
Pruna levem exhalat nubem semusta catino,
ad quem folliculi fistula pendet iners. 10
Sub luce ipse sedens faber haeret: seduta tantum
aspicitur parcis gestibus acta manus.

FERNANDUS M. BRIGNOLI, FRANCISCO ALOISE:

«L'Alleanza Tricolore, cui mi onoro di appartenere e che ha per Lei alta considerazione, mi ha gentilmente inviato copia dell'ultimo numero della rivista *Gymnastum*, nel quale Ella ha avuto la bontà di pubblicare una Sua lusinghiera recensione del mio carme *Smaragdus*. Le sono vivamente grato del Suo benevolo giudizio, che è per me tanto più prezioso, in quanto so quale autorità e fama Ella abbia come umanista e come studioso. — Roma 24-I-62.

•Ricevo il Suo graditissimo omaggio (un vero dono pasquale!) e mentre la ringrazio vivamente dell'onore che Ella mi ha fatto traducendo con così affettuosa cura il mio carme, mi complaccio con Lei per l'eccellenza del Suo lavoro: la traduzione è viva, bella, fedele.

FERDINANDO M. BRIGNOLI
(docente nell'Università di Roma)

LO SMERALDO

Il lume in giro spande la sua luce:
 Tiene al di là le cose un'ombra eguale.
 Del fabbro sparsi brillano sul banco
 Gli arnesi da lavor: duri ceselli,
 Lime voraci con sottili stili,
 E di ben fulva làmina pezzetti.
 Piccolo è qui mirabilmente tutto:
 Trapani aguzzi, piccoletti magli,
 Escalpelletti, e pinze, e picconetti,
 Ed il tornietto a levigare adatto.
 La brace già semicombusta esala
 Una nube di fumo dal crogiuolo,
 Preso del quale, quasi inerte pende,
 Del piccoletto mantice la canna.
 Sotto la chiara luce immobil siede
 L'artefice, di cui solo si scorge
 Il gesto misurato della mano.
 Dinanzi agli occhi suoi cresce un mucchietto
 Di gemme rare, che a una ad una osserva.
 Dapprima scruta i cangianti topazi
 E i lampi che sprigionansi dall'onice;
 Il fuoco esamina delle ametiste
 E dei birilli il celestiale ardore;
 Poi dei giacinti le purpuree tinte
 E le rose d'asteria, e pur la luce
 Del crisolito d'or giudica attento.
 Di splendor ripercosso tutta splende
 La fucinetta allor, s'aprano l'ombre
 Sotto la sferza della chiara luce.
 Fra i crisopazi biondi e le piriti
 Fosche, del fabbro la sagace mente
 Esita forte, dubita, tentenna,
 Distrae gli occhi ora il solar diaspro,
 Or lo zaffiro, azzurro astro, li attira.
 Ma sebbene egli tratti tante gemme
 Pur nondimeno non ne sceglie alcuna:
 Di questa non gli piace la materia,
 Di quella poi il color non lo soddisfa.
 Il mucchietto scomponе lesto lesto

Ante oculos crescit gemmarum parvus acervus,
 quo perspecta diu singula gemma coit.
 Scrutatus primo variantes ille topazos,15
 atque ea quae circum fulmina fundit onyx,
 abstrusum claris amethystis exigit ignem
 et qui beryllis caerulus ardor inest;
 purpureos hyacinthorum probat inde colores,
 asteriaeque rosas chrysolithique faces.20
 Tota repercuسو radiat splendore taberna,
 versicolori umbrae verbere lucis hiant.
 Chrysopasos inter flavas fuscisque pyritas
 haesitat artificis mens dubitatque sagax,
 allicit atque oculos alio solaris iaspis,25
 sapphirusque alio, caesia stella, rapit.
 Necdum tot gemmas tractans tamen eligit ullam:
 non haec materies, non color ille placet,
 protinus at cumulum versat, rursusque lapillis
 lucida vis gliscit discutiturque vaga.30



E nuovamente alle pietruzze cresce
 La virtù che vagando si sprigiona.
 Traluce finalmente un raggio verde:
 Forte nel petto gli martella il core:
 Ecco la sola, la fulgente gemma!
 Riconoscano tutte le altre cose
 D'essere vinte dalla verde gemma,
 Se ve ne son di quelle celebrat
 Per la limpida luce oppur di quelle
 Molto pregiate per il lor fulgore!
 Lesta la destra dell'esperto fabbro
 Prende la verde stella, e la raccoglie
 Della sua mano trepidante il cavo.
 Dopo avere osservato se nessuna
 Macchia l'offuschi o qualche mala vena
 Incrini il terso e lucido smeraldo
 L'esperto artista inizia il suo lavoro:
 Alacre affretta le sue dita amore.

LA GEMMA

Un impreciso e irregolar contorno
 La bellezza fa perdere alla gemma,
 Ove la superficie squadrata
 Bene non sia e rasa e disgrossata,
 O in cui altrettanti brividi di luce
 Non mandino le lor sfaccettature.
 Ma il gioiellier, usando il tornio e l'arte,
 Dopo aver posto la preziosa pietra
 Della tenaglia fra le alzate branche,
 A la ruota l'accosta, onde ben levighi
 Lo spigolo che s'alza o troppo sporge.
 Poi con frequenti colpi di diamante
 Smussa gli sghembi margini e le punte,
 Che non sembrano adatte alla figura,
 Poi ogni parte ed i riquadri adegua,
 Onde ogni lato sia conforme e uguale.
 Stridendo corre l'infuocata ruota
 Del tornio, che l'orafo sollecita
 Spingendo di continuo il volano.
 Tenui all'atrito balzano faville,

Perlucet viridis tandem lux: intima cordis
 exsultant: solus splendidus ecce lapis!
 Cetera se vinci fateantur siqua decoro
 lumine iactantur, siqua nitore valent!
 Continuo prasinum fabri nunc dextera sidus 35
 arripit ac trepidans concava palma capit,
 Intuitus tersam paullum liquidamque smaragdum,
 num macula officiat vel mala vena notet,
 ad subtile suum vir opus caelamina doctus
 incumbit: digitos impiger urget amor. 40

II. *Gemma*

Difformis foedat gemmas nec certa figura,
 quis non sit facies rasa dolata quadra,
 aut quarum, quot sint obliqua latuscula circum,
 fulgura non totidem luce recussa micent.
 At lapidem torno gemmarius usus et arte 45
 dentibus arrectis forcipis ante datum
 admotumque rotae radit, qua costula surgat
 ipsum denormans emineatque nimis;
 deinde oras crebro tortas adamante retundit,
 et qui non formae par videatur apex, 50
 singula postremo tornat scutulasque peraequat,
 ut parte ex omni congruat omne latus.
 Exilis torni stridens rota fervida currit,
 quam faber impulsis vectibus usque citat;
 emicat attritu candens tenuisque favilla 55
 —plurima, sed brevis ac, dum flagrat, usta perit—,
 scintillam replicans secreto in corpore gemmae
 palpitat igniculi flamma retrusa levis.
 Aequatum bene iam rite quadratum
 limula cosque terunt expoliuntque diu, 60
 dein labella eius purgant crystallina lucem,
 et retegit purus lumina munda latex.

Ma sì rapide che si spengon tosto.
E raddoppiando le scintille, chiusa
Dello smeraldo nel segreto seno
Di un baglior lieve palpita la fiamma.
La pietra già adeguata, e poi squadrata
Secondo l'uso, vien polita e rasa
A lungo dalla cote e dalla lima,
Fin che le vaschettine di cristallo
Purgano la sua luce e pure linfe
Rivelano agli occhi gli splendori.
Ed ecco che l'origine stellare
Si manifesta e la virtù che chiusa
Era rimasta nel suo freddo seno.
Ed emerge la gemma verdeggiante
Dal lavacro stillante, come bacca
Verde intrisa di nitida rugiada.
Or tutte intorno ridono le cose,
Soffuse di colore smeraldino:
Verdeggià pure l'ombra della notte.
E come, penetrando nell'ascoso
Intrico della selva in mezzo ai rami
Delle piante e degli alberi alle chiome
Irrompe l'alma fiaccola del giorno
Lacerando le tenebre, e una chiara
Lacuna accende il putrido terreno,
(L'intirizzita foglia avidamente
Nel nascondiglio suo beve del sole
I dolci baci e poi tutta ne trema
Dal caldo amore della luce tocca),
Così dovunque la luce rivela
I recessi della piccola casa
Del gioiellier; dovunque poi fiorisce
Non so quale novella primavera.
Di tutto ciò l'artefice stupisce,
Un più blando prodigo di repente
Ecco ritorna al cuore che ricorda.
Egli vede con gli occhi della mente,
Sotto la gioia della luce, prona
La ripa, cui l'irriguo campo cinge,
Ed il ruscel che i salici lambisce
Sulla scoscesa e dirupata proda
E l'annosa quercia, che ombreggia il suolo.

Sic reserata patet gelido quae fulgida virtus
 in gremio latuit sidereumque genus,
 emergitque virens stillanti gemma lavacro
 ut nitido viridis bacula rore madens. 65

Cuncta smaragdineo circum suffusa colore
 corribent: tacitae noctis et umbra viret.
 Qualis in occultum siluae penetrata recessum
 per fruticum ramos arboreasque comas
 irrumptit lacerans tenebras fax alma diei,
 ac putre collustrat clara lacuna solum,
 —in latebra frigens folium bibt oscula solis,
 dum tactum calido lucis amore tremit—
 talis ubique domus aperit lux ultima parvae; 70
 nescioquid veris floret ubique novi.
 Conscius haec stupet ipse faber, memorique repente
 prodigium cordi blandius ecce redit.

Ac viridem laeto pronam sub lumine ripam
 mente videt, riguus quam super ambit ager,
 ambentem salices praerupto in margine rivum,
 quercum, quae tepidam grandis opacat humum. 75
 Et meminit (felix o verni temporis hora,
 qua nil mitius est candidiusve nihil!):
 hic, ubi nulla premunt hominum vestigia glebas,
 illa aderat, veluti prospera nympha loci;
 gramineoque iacens in caespite dulce canebat
 formosum lento vimine fulta caput;
 aurea splendebat roseis redimita coronis:
 tota in ea sancti gloria ruris erat. 80
 Surrexit subito, iuvenem simulatque morantem
 conspexit, teneras tincta rubore genas,
 libera sub zona fluitavit caerulea vestis,
 implicitaque comis encedere rosae.
 Sustinet ille gradum pavitans, premit altera vocem:
 obdita corda duo capta lepore micant. 85
 Adrisere simul. Quae nulli visa dearum
 coniugium suadens pronuba grata fuit?

95

Tutto richiama nella mente il fabbro...
(O felice stagion di primavera
Di cui nulla è più dolce né più chiaro!):
In questo luogo, dove nessun'orma
D'uomo mortal calca giammai le glebe
Del luogo stava lei benigna ninfa,
Che giocando sull'erba tenerella
Cantava dolcemente, col bel capo
Sui flessibili giunchi abbandonato.
Il crin splendeva come fosse d'oro,
Di ghirlande di rose incoronato.
Il tripudio divin della campagna
Tutto accoglieva nel suo cuore ardente.
Quando scorse l'amante che indugiava,
Le belle guance di rossore tinta,
Subito sorse: l'azzurrina veste
Libera palpitò sotto la cinta,
Dalle chiome le caddero le rose...
Egli, quasi temendo, il passo arresta,
Ella la voce: i loro cuori ascosi
Sussultan presi dalla stessa gioia.
Ambo sorriser. Qual nascosta diva
Entrambi indusse, pronuba gradita,
Al coniugio? Qual dio dalle vedette
Del colle indulse al loro dolce amore,
D'un vel di nebbia ricoprendo pio
Il loro aspetto e le delizie loro?
Ma è lecito, ahimè, molto di raro
Ai poveri mortali esser beati!
L'invida luce trascolora, l'ombre
Cominciano a cader, intanto il vespro
Non vola intorno con infauste ali,
Né dai gioghi le stelle occhieggian mute.
Prima che ella, piangendo, dell'amante
Si sciolga dall'amplesso e via sen fugga
Più veloce dell'aura della notte.
Tali affanni richiama nella mente
Dell'orafo lo splendido smeraldo
E fa fiorire ancora la speranza
D'alimentar capace una nuova opra.

Quis deus ex clivi speculis indulxit amor,
ora tegens nebula deliciasque cava? 100
 Sed licet, heu! raro mortalibus esse beatis:
labitur invida lux, inficit umbra diem;
 nec prius infaustis vesper circumvolat alis,
deque altis nictant sidera muta iugis,
quam sese lacrimans amplexu solvit amantis,
nocturnisque auris ocior illa fugit. 105
 Talia gemma viro revocat, curasque reducens
spem revivere iubet, quam labor alter alit.

III. *Aurum*

Haec docet ars auro gemmas circumdare: palam
dicunt, cui magis est indita gemma nitens;
et palam noster properat procudere dignam,
qua stabilis maneat conspicuusque lapis 110
 In primis illam sumit modicamque rudemque,
auri quae iustum talea pondus habet;
 nec mora, fornaces crepitant, exaestuat aér,
vertice mota cito fusca favilla rotat; 112
 fumiferi glomerata replet crepera antra camini
nubes, quae refluit, dum sinuosa tumet.
 In medio faber est, humeros et brachia nudus,
cui corpus nitidus sudor et ora rigat; 120
 ipse veru stimulatque focos moderatque vatillo,
fomite et arenti rursus ahena fovet.
 Iamque probat crudum verax obrussa metallum,
colandumque iterum fusile flamma coquit.
 Ast, ubi conflatum pureque in pelve liquescens
—nam soluit faecem duritiamque calor— 125
 ille videt, sedat fatus, incendia placat,
aurumque ex imo sedulus igne trahit.
 Necdum densatum palinam diffundit in unctam,
orbis ubi tenuis, bractea flava riget, 130
 quam mersam inde lacu, multo effugiente vapore,

L'ORO

Quaest'arte insegn'a chiudere le gemme
In cerchio d'or, che chiamano castone,
Cui inserita maggiormente splende.
Un bel castone l'orafo si accinge
Or a foggiare, tale che risalto
Ne abbia la gemma e che rimanga salda.
Allora sceglie un piccolo lingotto
D'oro ancor grezzo, che è del giusto peso;
Immantinente crepita il fornello,
L'aer si infoca, volano faville
Fosche qua e là, dal vortice agitate;
Riempie intanto il camino un denso fumo,
Che si gonfia ed ingolfa e indietro torna.
Nudo il braccio e il torace, in mezzo l'orafo,
A cui il sudor e corpo e volto imperla,
Stimola il fuoco con l'attizzatolo,
Con la pala lo modera, e di nuovo
Con arida esca le caldaie fomenta.
E già la prova della caratura
Saggia il crudo metallo, già rifiuso,
Per la colata riuoce il fuoco.
Ma quando vede che l'oro è in fusione
E nel crogiuol si fa liquido e puro,
Perchè il calor disciolse la durezza
E dalle scorie lo privò ben bene,
Ferma il soffio, le vive fiamme placa,
E lieto lo ritrae dalla fornace.
Poi quando ancora è liquido e fumante
Sopra di un'unta patina lo versa,
Dove diventa una sottile piastre,
E raffreddandosi, una sfoglia bionda,
Che immersa quindi in una fresca vasca,
Mentre molto vapor ne fugge via,
Dalla stridente linfa è temperata.
Traluce il disco or dalla nera onda,
Come il sol splende, a sera, tra le nubi.
E mentre la grave lâmina d'oro
Si consolida nella fonda vasca,
Poi che l'opra più dura ancor rimane,
L'orafo tutti i miti ferri aduna,

temperat et fervens stridula mordet aqua.
 Aureus ex lympha discus perlucet opaca,
 ceu sol per nebulas vespere saepe nitet.
 Dum lamella gravis labro solidatur in alto,
 navandum quoniam durius exstat opus,
 mitia tela faber, quis mox utetur, ut apta
 prae manibus maneant, undique cuncta legit.
 Sunt valida arma fabris, varia est habilisque supellex,
 qua, prout ars poscit, stricta metalla domant;
 altera sunt ideo promptis superaddita: mensam
 horridus instructam saepit ubique chalybs.
 Tuxta caela alio discreti pondere cestri,
 dissimilique acie plura viricla iacent;
 denticulata comes prope limam serrula prodit,
 atque scobina rapax stringit utramque soror;
 stant apud incudes tenuantia prela seorsum,
 lentaque cochleolas torcula torta suas.
 Eripit, ecce, unca faber undis forpice discum,
 in tabuloque (sonat tinnulus ille) locat; 150
 dein pice dimidiā linit atra ex marmore sphaeram,
 quam corio crasso fulcit operta basis;
 in piceoque aurum compressum tegmine figit,
 et rigide stratum caedere rite parat.
 Iamque per angustum surgens aurora fenestram
 repit, et albescit fumida cella silens. 155

IV. *Pala*

Lineat ex medio crustae nunc circinus orbem,
 inciditque auri ruga rotunda cutem;
 dicit in interius spatium breve norma viriculum,
 ut planum radiis recta decussis aret. 160
 Post haec quod superest aequae faber exsecat orae,
 et lapidi caveas alveolumque fodit.
 Restat ut in quatuor scalpatur lamna tabellas,
 orneturque suo quisque decore tetrans.

Di cui si servirà tra breve tempo,
 Perchè rimangan solo quelli adatti.
 Gli orefici posseggon valide armi,
 Arnesi maneggevoli e svariati,
 Coi quali domano i duri metalli.
 A quei già pronti se ne aggiungono altri:
 Dell'irto acciaio tutto assiepato è il banco.
 Stanno accanto ai ceselli sopra il marmo
 Stili vari di peso e di grandezza
 E i bulini dalla dissimil punta;
 Alla lima si affianca la seghetta,
 Dentellata compagna, all'una e all'altra
 Addosso giace la predace raspa;
 Presso le incudini, in disparte vedi
 Le assottiglianti presse ed i torchietti
 Contorti nelle lor pesanti viti.
 Ecco, dall'acqua con le adunche molle
 Il disco trae, che tinnulo risuona
 Allor che 'l pone sul tavolinetto.
 Di bianco marmo, poi una mezza sfera,
 Sopra una base di uno spesso cuoio,
 Spalma di pece, su cui l'oro fissa,
 E dopo averlo per benin spianato
 Si accinge com'è l'uso ad intagliarlo.
 Per la finestra già striscia l'aurora,
 Tutta s'imbianca la fumosa stanza.

IL CASTONE

Dal centro della sfoglia ora il compasso
 Un circolo disegna e una rotonda
 Ruga rimarca la cute dell'oro.
 La squadra guida nello spazio interno
 Il bulin corto, onde un incrocio esatto,
 Il pian del cerchio coi suoi raggi solchi.
 Indi ritaglia quel che al lembo avanza,
 E la gabietta per la gemma scava.
 Gli resta da sbalzar la laminetta
 In quattro parti, sì che ogni quadrante
 Dell'ornamento suo venga abbellito.
 Né men s'impegna all'opra, anche se stanco,
 L'orafo, anzi mai fu sì alacre e desto;

- Nec minus huic, quamvis lassus, vacat ille labori, 165
 quin sic non alacer, non vigil ante fuit:
 argutis resonat caeli domus ictibus alta,
 et sonus ad solas transilit usque vias.
 Interea fit clara dies noctisque tenacis
 undique in occasum mobilis umbra ruit; 170
 in tabula certant primo cum fulgere solis
 hinc illinc viridis lux rutilusque nitor.
 Non oculos removet sensusque sopore carentes
 a sculptura opifex, quem tener angit amor,
 sed bene malleolum librans capulumque viricli 175
 percutiens figit plusve minusve stilum.
 Crispa toteumate iam disci pars altera rideat,
 pingentemque aciem proxima nuda subit;
 atque ita progreditur punctim caesimque viriculum,
 donec tota operis subcava forma patet. 180
 Apparent quatuor descripta in partibus anni
 tempora et alternae solis agrique vices;
 torridus in summa campis furit aestus apertis,
 aestivaque urit gramina rosa siti;
 rara volans lento solis tardata vapore 185
 vel rupem volucris vel nemus alta petit;
 ilicis immoti tenduntur ad aethera rami,
 qui nulla gelidae spe recreantur aquae.
 Angulus hunc sequitur dexter, quem verberat udi
 autumni squalens ira notusque celer; 190
 hic divulsa vides tolli virgulta per auras,
 et misero frondes vortice nare vagas,
 hic fluvii turgent, velant iuga turbine nimbi,
 imbre sub adsiduo marcida fumat humus.
 Frigida torpet hiems, ubi lunula flectitur ima, 195
 brumalique rigent obruta cuncta nive,
 consistit rivus glacie concretus inertis,
 acri horrent veprium brachia morsa gelu.
 Sed nova funereo subrepit vita vetero,
 algentique solo germina clausa vigent. 200

Degli argentini colpi del cesello
Tutta risuona la profonda casa,
Fin sulle vie solinghe il suon trascende.
Frattanto il giorno si fa chiaro ovunque,
E il sole spazza l'ombre della notte.
Sul tavolo, di qua una verde luce
Mentre di là un rutilo splendore
Col rinascente sol par che gareggi.
Ma l'orafo, cui amor tenero affanna
Dal suo lavor di sbalzo non distoglie
Gli sguardi e i sensi ormai privi di sonno,
Ma il martel bilanciato dal bulino
Configge or più or meno lo stiletto.
Del disco già sorride l'altra parte,
Scabra per i rilievi, mentre l'altra
Nuda s'offre alla punta che dipinge.
Così lo scalpelletto progredisce
L'oro incidendo, finchè la convessa
Immagine dell'opra tutta emerge.
Raffigurate nelle quattro parti
Veder potresti le stagion dell'anno
E le vicende del sole e dei campi:
Nella più alta, torrida calura
Sull'aperta campagna infuria, ed arde
L'erbe corrose dalla sete estiva.
Vola attardato dalla lenta vampa
Del sole, incerto qualche raro uccello,
Che dall'alto la rupe o il bosco cerca;
Immoti si protendono nell'aria
Dell'elce i rami, che nessuna speme
Ricrea di fresche linfe trascorrenti.
A questo segue l'angolo di destra,
Cui sferza l'ira squallida d'autunno,
E il celer vento, qui vedi strappati
Ire per l'etra teneri virgulti
E fronde erranti, in triste mulinello;
Gonfiansi i fiumi proprio a dismisura,
Velano i gioghi nembi tempestosi,
Fuma la terra sotto l'acquazzone.
Là dove in basso la lunetta incurva,
Il freddo verno intorpidisce, e tutte
Le cose, sotto la brumale neve
Interamente agghiacciano, il ruscello
S'irrigidisce per il molto ghiaccio,
Come irte braccia i rami dei cespugli
Si levan morsi dall'acuto gelo.

Ac demum laeva splendet ver parte serenum.
 omnia perfuso lumine blanda teperit;
 cantat avis, gaudent variatis prata corollis,
 arbore sub laeta labitur unda loquax;
 infundunt zephyris genitalia pollina flores,
 silvarumque virens fragrat odore via.

205

O tu naturae preeceps hominumque iuventa,
 quae tecum bona fers ipsa caduca recipis
 Haec mire incuso bullae spectantur in auro:
 extremumque ictum malleus, ecce, tulit.

210

Anulus inde orae ferrumine iungitur arto,
 per quem transmitti laxa catella queat.
 Hic solvens operis finem summumque laborem
 caelatum pumex levigat atque smyris,
 in mediis clupei loculum faber inserit imam
 gemmam viscoso glutine rite litam;
 denique mundat opus, fundam totumque monile
 molli peniculo pelliculaque levi.

215

Aureus et viridis: noti quam multa colores
 adflicto memorant dulcia facta viro!

220

V. *Carmen*

Perfectum vir opus miratur: bulla coruscat
 ut sole occiduo tinctus apricus ager.

Miratur: menti tamen aegrae cura recurrit,
 expromitque anceps irrita vota dolor.

—Digneris donum, redeas, fugitiva puella,
 cui queat arte faber ficta dicare sua!

225

O redeas utinam — tacite gemit ille —, benigna
 rursus ames, dono divite victa, fabrum!

Quid sperem? memor esne mei? sparsamne revisam
 terram luce tuo sub gradiente pede?

230

Non loca iam recoles, ubi tunc mihi candida vitam
 attulit, atque eadem sustulit una dies?

An potius procul hinc alia regione vagaris,
 splendidiora deum regna beata petens? —

Sic secum dubitans, et spe relevatus et exspes,
 corruit in veterem, quem struit ipse, dolum.

235

Ma nel letargo già una nuova vita
 S'insinua, e vigoreggiano i germogli
 Nel freddo seno della madre terra.
 Finalmente nella sinistra parte
 Sorride la serena primavera,
 Ai nuovi raggi intiepidisce tutto,
 Cantan gli uccelli dolcemente, i prati
 Godon la gioia di vivide corolle,
 E sotto l'alber dai fronzuti rami
 Garrulla scorre del ruscello l'onda;
 I fiori versan polline secondo
 Nei lievi zeffiri, e la verde via
 E' tutta pregna di silvestri odori.
 O gioventù, tu duri solo un giorno!
 Il ben che porti tosto lo ritogli!...
 Queste cose si ammirano nell'oro
 Del gioiello con arte lavorato:
 Ecco, il martel die' l'ultimo colpo.
 Indi all'orlo con buona saldatura
 Viene attaccato un anellino d'oro,
 Pel quale passi poi una catenella.
 Per finir l'opra e dar l'ultima mano,
 Con pomice e smeriglio il dotto fabbro,
 Or leviga la parte cesellata;
 Proprio nel centro del bel medaglione,
 Quindi inserisce la fulgente gemma,
 Dopo averne col mastice spalmato
 Il fondo, infin deterge il suo lavoro
 Ed il castone ed il monile tutto,
 Con un pannello e con un po' di pelle.
 Oro e verde: ahimè quanti ricordi
 Dolci tornano dell'uomo alla memoria
 Triste, sotto l'incanto dei colcri!

IL CANTO

Ammira l'uomo l'opera perfetta:
 Splende il gioiello come un campo aprico,
 Colorato dal sole che tramonta.
 Ammira, ma ritorna nella mente
 Triste l'affanno, un incerto dolore
 Gli fa esprimere inutili preghiere.
 «Questo monile di te degno stima,
 Fuggitiva fanciulla, deh, ritorna,
 Onde l'orafo possa dedicarti
 Tutti i lavori della nobile arte!



Neququam trepido divae, miser, uris amore,
 neququam absenti dona precesque voves.
 Immemor illa alio fugit quasi futilis umbra
 vel quasi labentis lucis imago foret; 240
 nec tua te iuvat ars, neque gemmae aurumve iuvabunt:
 is, quem lusit amor, solus habendus inops.
 Sed mihi tu dulcis, mihi tu suavissima rerum,
 anxia cura animi deliciaeque mei,
 tu sensus edocta meos novisse repostos
 versibus his decoris scis quid inesse velim. 245
 Nam faber ille ego sum (faber est non ipse poëta?),
 quamvis non gemmas, sed modo verba ligem.
 Et mihi productae noctes, exercita donec
 est cano tingui pagina visa polo. 250
 Pro cestro calamus, mea pro caelamine Musa:
 formas arma ignes suppeditavit amor.
 Divitiae desunt, nec in arca est ulla smaragdus
 ornatura tuum, victa nitore, sinum:
 carmine vile tamen fuerit magis omne monile,
 si blandis oculis carmen, amata, leges. 255

Volesse il Cielo, deh! che tu tornassi
 (Geme fra sè) per nuovamente amare
 Il fabbro, vinto dal suo ricco dono!
 Posso sperar che ancor tu mi ricordi?
 Vedrò sotto il tuo incedere leggero,
 Cospargersi la terra ancor di luce?
 Visiterai tu forse ancor quei luoghi,
 Ove un unico giorno della vita
 Diede e ritolse a me tanta dolcezza?
 O piuttosto lontan di qui tu vaghi
 Altrove, dirigendoti, beata,
 Verso i fulgidi regni degli dei?»
 Così tra sè dubita triste il fabbro
 E speranzoso e disperato a un tempo
 Di nuovo cade nell'antico inganno.
 Misero, invano avvampi per la dea,
 Preci invan offri e doni alla lontana.
 Ella fuggi tutto dimenticando
 Quasi che fosse un'ombra vuota e vana,
 O un miraggio di luce che dilegua,
 E a te non giova la tua nobil'arte,
 Non gioveranno a te né gemme ed oro:
 Povero sol è chi deluse amore...
 Ma tu che sei sopra ogni cosa cara,
 Amica, ansiosa cura e mio conforto,
 Che mi leggi i pensieri più riposti,
 Sai quale grazia io vorrei che fosse
 In questo poemetto a te sacrato.
 Son io quel fabbro (non è fabbro forse
 Anche il poeta?) ben ch'io non congiunga
 Fulgide gemme, ma solo parole.
 Anch'io ho prostratto tante notti insonne
 Fin che parea la tormentata carta
 Trascolorasse per il cielo bianco.
 La penna è stato il duro mio cesello,
 Il mio lavoro d'orafo la Musa:
 L'amor mi ha dato stampi, arnesi, fuochi.
 Ricco non son, non ho nell'arca alcuno
 Smeraldo, che abbellir posa il tuo seno,
 Ed in fulgore rimanerne vinto;
 Ma ogni monil avrà minore pregio
 Di questo carme, se tu, dolce amore,
 Lo leggerai con quei tuoi occhi belli.

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIUM

P. Caelestis Eichenseer O.S.B. Josepho Mariae Mir, Domino Doctissimo ac Reverentissimo, S. P. D.

Animo non mediocriter commeto nunc singillatim eas legi res in novo PALAESTRAE LATINAЕ fasciculo duplīci, qui mihi his diebus allatus est, quas tunc, id est anno millesimo nongentesimo tricesimo sexto — quo tempore vix unum alterumve vocabulum latinum noveram —, puer undecim fere annorum cotidie in ephemeridibus summo studio persecutus sum. Tum vix scivi, ubi terrarum Hispania sita esset — sed brevi situm ejus didicī —, tamen tremebam multum condicionibus iniquis Christicolarum probatissimorum anxius atque de salute fidelium multimodis vexatorum perquam sollicitus... Sed tum ne suspicabar quidem tot sodales Claretianos, numero quinquaginta unum, has tantas contumelias insectatorum infestissimorum eluctatos, in haec tanta discrimina fidei vere Christianae, castimoniae inconcussae, catholicae veritatis incorruptae vocatos pro Christo Domino sanguinem fudisse recordatos firmiter eum promisisse se omnes, qui ipsum coram hominibus confiterentur, coram Patre suo caelesti confessurum (cf. *Vulg. MATTH.* 10, 32. *Luc.* 12, 8). Hi strage crudelitateque immani in terris extinti, vera vita in caelis donati cum Agno regnabunt amicti stolis albis... In terris autem Tertulliano teste sanguis martyrum semen est Christianorum. Nam ait: «Plures efficiuntur, quotiens metimus a vobis: semen est sanguis Christianorum» (*Apol.* 50, 13). Inde puto factum, ut novis incrementis susceptis sodaliumque numero prorsus aucto congregatio religiosa Filiorum ab Immaculato Corde Beatae Mariae Virginis nuncupatorum post illud intestinum bellum taeterimum in dies magis magisque effloresceret meritis maxime conspicua doctrinae Christianae late diffundendae. Per opportune igitur non sine Dei nutu accidit, quod eodem anno tam tūla victoria per martyres gloriosos parta solemniter recolebatur quam ejus Patris reverendi jubilaeus annus vicesimus quintus sacerdotii capti celebrabatur, qui consuetudine familiari firmaque conjunctus cum illo erat, qui dilectione ductus animam suam posuit pro suis amicis (cf. *Vulg. IOH.* 15, 13).

De Patris Emmanuelis Jové indole animi ingenioque in novo PALAESTRAE LATINAЕ fasciculo multa comperimus. Qui tam erat veritatis amans quam qui amantissimus. Qua virtute inductus et impulsus cum in sonos singularum litterarum inquisivit tum ipsas litteras more vere latino proferre contendit neque irrisu neque ironia deterritus a consilio capto verum genuinumque enuntiandi (cf. pp. 138 sq.). Qua in re quid praestiterit, aliquatenus judicare

scio similia sescenties jam ipse expertus. His diebus mihi a praefecto domus cuiusdam editricis circiter ducentae paginae de litterarum appellatione latina diligenter conscriptae remissae sunt, quod nonnulli ludimagistri sententiam rogati livide respondissent. Is autem, qui hac in re fuit antesignanus intrepidus, ad superos translatus desuper nobis, quaeso, suppetietur, ut tandem uniformitas pronuntiatus nostris diebus maxime necessaria, utpote quae sit jam multis discis sonigeris aliisque experimentis similibus felicissime comprobata, magis magisque in consuetudinem communem veniat cum emolumento eorum magno, qui ubique terrarum latine loqui vel inter se consilia communicare, cum sint bono animo, non dubitant magna multaque ausi. Quem cursum caelitus adjuti contentis viribus teneamus oportet opus ab Emmanuele Jové sedulo strenueque susceptum officiis studiisque prosecuturi.

Ceterum, ut ad alia transeam, quae Bonamicus Bartholomaeus Actensis, qua est comitate, compluribus argumentis allatis de sermone antiquorum, quo rem levidensem civiliter abnuere solebant, scite demonstravit, perplacuerunt. Ei gratias ago quam maximas, etiam nomine —si licet— ceterorum legentium...

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 4.^o m. Februarii anno MCMLXII.

P. Caelestis Eichenseer OSB. Josepho Mariae Mir, S. P. D.

Jam pridem mihi hujus anni primus fasciculus PALAESTRAE LATINAE redditus est. De quo libello nitido maximopere gavisus sum. Summo autem studio ea perlegi, quae de cena prandioque scitissime conscripsisti. Ibi etiam illos lucentes inveni. De eodem autem cibi genere antiquis usitatiore his diebus apud Walde-Hofmann (*Lateinisches etymologisches Wörterbuch*, ed. 3.^a, Heidelberg 1938 (vol. I), p. 828) inveni, quae latine hunc fere in modum redundunt: «lucuns erat cibus dulcis. Quod vocabulum ex Graeco duci videtur, ubi est *γλυκοῦς (sc. ἄρτος vel πλαχοῦς i. e. panis dulcis). Vel ibi invenitur γλυκόεις (Nicander), quod nomen cum eo conjungitur, quod est πότας. Lucuns (gen. feminini interdum, quod etiam placentae vocabulum generis est feminei)». Apud Tertullianum autem haec repperi: TERT. *spect.* 27, 5 (CChL 1,250) Omnia illic seu fortia seu honesta seu sonora seu canora seu subtilia proinde habe ac si stillicidia mellis de libacunculo (*var. 1. lucunculo Junius edd., fort recte*) venenato nec tanti gulam facias voluptatis quanti periculum per suavitatem. Cf. ITALAM, *exod.* 16, 31. In Vulgata versione Hieronymi legitur: «appellavitque domus Israhel nomen ejus man, quod erat quasi semen coriandri gustusque eius quasi similae cum melle». (Biblia Sacra juxta Latinam Vulgatam versionem ad codicum fidem, Romae 1929, p. 165).

Illas autem paginas nominum locorum, quas mihi tum misisti inspicendas, nondum repperi. Sed omnem spem non deposui. Ceterum etiam ipse jam complura nomina locorum collegi cum ex Actis Apostolicae Sedis recentissimis deprompta tum aliunde congesta...

His mensibus plurimis negotiis expediendis districtus spero futuram alias, ut plus temopris mihi sit occasionisque opportuna, quo plura commenter latine. —Incolumen Te servet Dominus totius salutis auctor!

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 4.^o m. Junii anno MCMLXII.

NOVA ET VETERA

DE GRAMMOPHONO

MAXIMUS. — Salve, Juli; jam diu est, o bone, cum te non videram, et admordum gaudeo quod mihi nunc obvius sis.

JULIUS. — Salve et tu, Maxime; cur adeo de adventu meo gaudes? Rectene apud vos?

MAXIMUS. — Ita, recte. Sed magno gaudio officior quia pater paucos abhinc dies mirum commodumque emil grammophonum¹.

J. — Et ego de prospero rerum apud vos eventu voluptatem capio ac laetor quod me certiore facis de grammophono a patre tuo nuper empto. Nos jam pridem hujusmodi instrumentum² habemus.

M. — Quod probe scio, nam saepius discos³ musicam exprimentes magna animi delectatione apud vos audivi.

1. GRAMMOPHONUM [*gramófono, tocadiscos, - gramophone - grammofono*]: hanc scribendi hujus vocis rationem (*grammophonum*) tenet ac defendit P. Caelestis Eichenseer (cfr. PAL. LAT. 17 (1957) 86), quocum convenient Wagner (*Dictionarium... hungarico-latium*, Budapest, s. v.), L. Cognasso (*Il latino..., Torino*), Bodellino (*Dizionario italiano-latino*, Torino, 1961, sub fin.: *Piccolo lessico*), Mariano (*Nuovo Dizionario ital.-lat.*, Roma 1956: qui *grammophonus* (!) scribit). — Alii vero *grammophonum* scribere malunt, ut Card. A. Bacci et *Latinitatis scriptores*; (P. Springhetti alias voces simili ratione proponit: *telegraphium, phonographium*, cfr. *Institutiones stili latini*, Romae, 1954, p. 101). — Qui primam tenent sententiam etymon vocis graecum respiciunt, qui vero alteram usitatiorem apud Romanos harum vocum

finiendi modum (-*tum*) sequi videntur: cfr. PAL. LAT. 27 (1957) 88 et 30 (1960) 28-29.

2. INSTRUMENTUM [*aparato - appareil - apparecchio*]: alii — Cognasso, Mariano, Tempini (*Manuale di conversazione latina*, Torino, p. 168)—: «machina»; adhiberi aliquando poterunt suis locis recte aptanda «machinatio, machinamentum» (cfr. QUICHERAT, *Dictionnaire français-lat.*). Neque omnino reprehendendus videtur qui moderate et prudenter *apparatum usurpet* (cfr. Cognasso: «apparatus radio-phonicus»), cum antiquus hujus vocis sensus facile ad res nostrae aetatis deduci possit.

3. DISCO [*disco - disque - disco*]: Cognasso: «orbis, discus phonographicus»; H. H. Paoli: «discus grammophonicus» (cfr. PAL. LAT. 27 (1957) 149); P. I. González (PAL. LAT. 23

J. — Ita sane; pater enim studio musicam audiendi flagrat ejusque animus suavissima completur voluptate cum musicam classicam et recentiorem⁴, musicae concentus⁵, aut Mozart et Beethoven symphonias⁶ auditu percipere potest.

M. — Apud Paulum amicum grammophonum me vidisse recordor vetus absoletumque quod manubrio⁷ versatur et bucinam habet qua sonos verbaque majore intentione percipientur.

J. — Haec est sane vetus grammophonorum forma⁸; nostra vero aetate grammophona fere electrica sunt.

M. — Grammphonum, ut musicam selectam, sacram et profanam⁹ domi

(1953) 11): «discus (phonographicus»; P. Caelestis (PAL. LAT. 27 (1957) 89): «discus grammophonicus, phonographicus»; neque probabilis afferri potest ratio qua orbem tantum adhibeamus et a disco recedamus, nam veteris sensus translatio in duobus exstat vocibus, illudque tantum inventimus discrimen quod orbis est vox latina, discum autem a Graecis mutuamur. —Bacci: «orbis phonographicus».

4. MUSICA CLASSICA - MUSICA RECENTIOR [*música clásica, música moderna*]: ita P. L. Sansegundo (PAL. LAT. 24 (1954) 214), et licet *classicus* aetatis sit argenteae, rem tamen exprimit vere definitam et musicam 'primae, optimae classis seu optimi ordinis' significat.

5. MUSICAEC CONCENTUS [*concierto - concerto*]: usitatus est hic nostrae aetatis novus sensus, qui facilime cum vetere aptatur, ac vel hic fere apud scriptores romanos reperitur, ut: «Ille avium concentus in agris» (VIRG. *Georg.*, 1, 422); «Concentu victus vocis lyraeque» (OVID. *Metam.*, 11, 11); «Acuta cum gravibus temperans variis aequabiliter concentus efficit» (CIC. *Re publ. [Somnium Scip.]* 6, 18 (5). —Sunt qui ut Morcelli, Bacci,

concentui «musicum» addant (-*musicum concentum*), sed saepius redundabit.

6. SYMPHONIAS [*sinfonía - symphonia - sinfonia*]: ita Mariano, Tempini (*Op. mem.*, p. 167). —Ceterum symphonia non nunquam idem valet atque concentus (cfr. Bacci), est enim eadem vox graece; alias vero ad genus quoddam musicum spectat quod ex multorum instrumentorum concentu «symphonia» appellatur.

7. MANUBRIO [*manecilla, manubrio*]: est enim illud ferramentum quod 'manu capit', quodque versando interna grammophoni machinatio intenditur; dices ergo: «grammophonum manubrio versare, grammophonum intendere» = *dar cuerda al gramófono*.

8. FORMA [*sistema, modelo*]: forma 'est delineatio et exemplar operis; imaginis forma, formae figura, species formae' (cfr. FORCELLINI); hīc etiam «structuram» dicere potes.

9. MUSICA SACRA ET PROFANA [*música sagrada y profana*]: «profanus» est «sacro» contrarius, cui saepe coniungitur: «Miscebis sacra profanis» (HORAT. *Epist.* 1, 16, 51), «Secernere sacra profanis» (ID. *Ars poēt.* 397); quae voces ad musicam sunt relata ac saepissime in documentis adhibentur.

audialis, magno vobis usui est. Nos vero ut linguas exteriores discamus, ac vel latinam, usurpabimus.

J. — Optima sane discendi ratio, nam ut sermonem patrium alios audiendo pueri discimus, ita etiam aliorum gentium linguas, grammophoni discos audientes, percipere possumus.

M. — Ita est; amici in Hispania sunt qui gallica et anglica lingua loquuntur¹⁰ hisque linguis admodum bene discis phonographicis instituti sunt.

J. — Et ego amicos novi qui sermonem gallicum hac via optime didicerunt. Multae quidem sunt rationes quibus linguas exteriores discere possumus, ut «Assimil, Linguaphone, Polyglophonum CCC», quod mihi maxime placet. Nuper hujus Domus discendi linguae latinae rationem vidi quam emere propediem constitui.

M. — Omnes, uti credo, optimae erunt si magno animi studio et constantio eas prosequaris, praesertim si epistularum commercio¹¹, in exercitationibus scripto perficiendis, moderatorum monitis praeceptisque ducaris.


J. — Quando curriculum¹² ad linguam anglicam perciendam incipes?

10. ANGLICA LINGUA LOQUUNTUR [*hablar inglés - parler l'anglais - parlare l'inglese*]: *Anglia, Anglus, anglicus* sunt voces senioris latinitatis a B. Gregorio Magno et a Beda Venerabili inductae, quae tamen nostra aetate pro antiquis *Britannia, Britannus, britanicus* non nunquam adhibentur. — «Loqui lingua latina, graeca, gallica, anglica» (animadverte casum *ablativum*, non vero «accusativum»), vel etiam «latine, graece, gallice, hispanice loqui».

11. EPISTULARUM COMMERCIO [*correspondencia epistolar*]: sunt qui hanc locutionem reiciant aut minus probent; de qua ad nos scripsit P. Caellestis (cfr. PAL. LAT. 28 (1958) 291): «Nam in fasciculis *Palaestrae Latinae* haud ita recte scribi solet: *Epistularum inter socios commercium*, ubi hunc fere in modum res, de qua agitur, verbis exprimenda est: «*Epistulae sociorum missae et allatae*»... — Cui responsum ipse dedi: «De locutione illa quae est *commercium epistularum* non omnes in eandem convenire sententiam certo

sciebam, et ideo quod prius «commercium epistulare» dicebamus, in nova edendae PAL. L. ratione in «epistularum inter socios commercium» commutavimus»... — Et quod tunc significaveram, «auctores haud suspectae sed purae latinitatis sine ulla sensuum distinctione *commercium epistularum* aut *litterarum* admittunt et adhibenda proponunt»; in quibus memorandi: Vallauri, Mariano: «*litterarum commercium*»; Bacci, Bodelino: «*epistularum commercium*»; Bione, Georges: «*litterarum, epistularum commercium* - cum alqo, . inter alqos».

12. curriculum [*curso*]: aliquando «scholarum tempus, ratio»... adhiberi poterunt; sed *cursus* et *curriculum* retineantur illo vulgato et peculiari sensu quo 'alicujus disciplinae materia seu lectionum series' designantur. — Georges (*Kleines Deutsch-Lateinisches Wörterbuch*, Leipzig) habet: **institutionis cursus*, quem dicimus; **uno semestri cursu nimis multa tractare*.



- | | |
|------------------------------------|-------------------------------|
| 1. megaphōnum [-ium], megalophōnum | <i>altavoz</i> |
| 2. discus; orbis | <i>disco</i> |
| 3. *phonophōrus | <i>pick-up</i> |
| 4. vocis intentio | <i>volumen de voz</i> |
| 5. toni claritas | <i>claridad de tono</i> |
| 6. funiculus electricus | <i>hilo, cordón eléctrico</i> |
| 7. pinna, [bipennium] | <i>enchufe, clavija</i> |

* Difficillimum duxeram hec vocabulum latine reddere: quod ut assequerer rem ipsam mecum considerandam constitui ejusque naturam et finem investiganda, quo id intellexi rem admodum bene nos interpretari posse si vocabulum fingeremus e Graecis ductum quod est *phono-phoros*; nam id quidem singulare hujus instrumenti est ut vibrationes acusticas grammophoni in «tensiones» electricas convertat et in megaphonum transmittat: quo vox foras ducitur (= φωνή — φορός); cfr. similem vocem *semaforo* apud MARIANO, Card. BACCI, BODELLINO.

M. — Crastino die.

J. — Scisne recte grammophonum pectractare?

M. — Parum sane; sed velim ut singulas instrumenti partes tu persequaris.

J. — Primum rem ipsam ejusque historiam noveris oportet; et ex historia cognitum habes Thomam Edisson, virum in disciplinis physicis peritissimum, anno 1877 phonographum¹³ invenisse, quo instrumento vocis humanae vibrationes vel quilibet sonus in cylindro¹⁴ inscribuntur.

M. — Qua vero ratione id fit? Nam mira est res.

J. — Haec machinatio¹⁵, ut dixi, sonorum vibrationes¹⁶ seu sonum quemlibet vibrantem excipit et in cylindro, qui cereus esse solet, incidit¹⁷; haec vero incisio stilo vel graphio¹⁸ fit.

M. — Bene se habet; sed quo modo sonus in cylindro prius incisus in sonum vel vocem humanam iterum mutatur?

J. — Id quidem facile postquam multa recentiora inventa facta sunt. Aemilius enim Berliner, vir rebus physicis doctissimus, aliud repperit instrumentum quo sonus voxque amplificantur¹⁹; estque quasi contrarium phonographi instrumentum; nam cylindrus phonographi in grammophonio in discum convertitur ita ut acus²⁰ in incisiones labatur: quo lamina vibrat et sonos

13. PHONOGRAPHUM [*fonógrafo - phonographe - fonografo*]: has voces, ut supra dixi sub 1), alii interjecto *i.* (*phonographium*), alii praeciso (*phonographum*) scribere malunt. Id tamen est animadvertisendum, ut alias monui (PAL. LAT. 26 (1956) 169; 27 (1957) 86, 87, 88; 30 (1960) 28-29), in his verbis altera compositi pars non a *graphio* duci, sed a verbo graeco γράφω. In hac voce explicanda, est verae etymologiae confusio.

14. CYLINDRO [*cilindro - cylindre - cilindro*]: eodem quo apud veteres invenitur sensu, cfr. CIC. *Nat. deor.* 1, 10, 24.

15. MACHINATIO [*mecanismo*]; est 'machinamentum, machina'; cfr: «Haec cum machinationibus demissa in flumen defixerat» (CAES. *B. G.* 4, 17).

16. VIBRATIONES [*vibración*]: in qua voce sensus verbi *vibro* i. e. «pau-

lulum agitor, concutior, tremo, retinetur.

17. INCIDIT [*grabar*]: usurpari etiam potest *inscribere*, cfr. «*inscribere* 'speciatim est incidere, notare, signare, incidere, segnare, bollare: 'Quis' robur illud cecidit, dolavit, inscripsit» CIC. *Divinat.* 2, 41, 86 (Forcellini); cfr. supra «in cylindro *inscribuntur*».

18. STILO - GRAPHIO [*estilete, punzón*]: quae idem valent, i. e. 'stilus, ferreus' aeneus, osseus, quo veteres in ceratis tabulis scribebant'.

19. AMPLIFICANTUR [*amplificar*]: cfr. «Sed duros et quasi corneolos habent introitus... quod his naturis relatus amplificatur sonus» (CIC. *Nat. deor.* 2, 57, 144).

20. acus [*aguja*]: eadem ratione latine dicimus qua hoc nomen in nostris linguis in rem novam et peculialem translatum est.

prius inscriptos iterum reddit. — Nunc autem qua re grammophonum appelleatur penitus perspicies.

M. — Explica, sis.

J. — Prima hujus vocabuli compositi pars e voce graeca γράμμα ducitur et «litteram» significat, altera vero a voce φωνή et «verbum, sonum, sermonem» latine exprimit: ejusque sensus est «sonus litterarum», ita ut grammophonum idem sit atque «apparatus» quo vox sonusque exprimuntur.

M. — Vocabulum igitur rei optime quadrat. Enarr nunc grammophoni tractationem.

J. — Grammophona, quae mechanica dicuntur, sic tractantur: manubrium versatur, cuius conversione machinatio quedam horologii similis intenditur²¹, eaque interna machinatio certum et aequabilem catini motum, cui discus imponitur, reddit.

M. — Quid aliud faciendum?

J. — Clavem seu vectem²², quo catinus²³ gyros seu circuitus ducet, vertes; bracchiolum²³, cui est appositum diaphragma²⁵ cum acu, cante aptabis et disco

21. INTENDITUR [«intendere horologium»: *[dar cuerda al reloj - remonter la montre - caricare l'orologio]*: cfr. quae Avenarius scripsit: «Horologia ubi vis motiva relanguit, novo motu donanda sunt. Hic italus serae latinitatis usus verbo *caricare* dicit horologium, nos dicimus *die Uhr aufziehen*», ex quo ego antehac «retorque horologia» dicebam, nunc ab illo Baccio doctus, et a Georgio meo instructus, dico «dare vel potius restituere horologio machinationem... Neque adeo raro fit ut horologiarii indices vel lanceolae aberrent a vero tempore, ut oporteat *accommodare*». — Cui ipse respondi: «Retorqueri quodam modo horologium videtur ejusdemque machinatio, et ideo quibusdam placeat verbum «retorquere». Multitamen scriptores — praeter illas Bacci locutiones («dare, agere horologio machinationem») —, «intendere horologium» etiam dixerunt (cfr. J. Wagner, *Dictionarium hungarico-latinum*, s.

v. *óra*); Capellanus-Lamer (*Sprechen Sie Lateinisch?* 11 ed. p. 6); Menge-Müller (*Langenscheidts Taschenwörterbuch*, s. v. *aufziehen*); Bione (*Vocabolario della lingua latina*): «horologii machinationem instruere». — Tu dicis «accommodare horologium» [*poner el reloj en hora*], alii etiam «componere, instruere» fortasse dicent. (cfr. PAL. LAT. 27 (1957) 143 et 146).

22. CLAVEM - VECTEM [*llave, palanca*]: *clavis, clavicula, vectis* sunt voces novis rebus aptatae.

23. CATINUS [*plato, plataforma*]: ita P. I. González (PAL. LAT. 23 (1953) 11); lexica silent.

24. BRACCHIOLUM [*brazo, bracito*]: ibidem P. González habet «brachium».

25. DIAPHRAGMA [*diafragma*]: proprie est «membrana quae cor et pulmones a jecore et liene distinguit, saeptum transversum» (cfr. Forcellini), et dictum est a διὰ et φράγμα (*saeptum*). — Quae vox in nostris lin-

impones qui vocem humanam, modos musicos... statim referet; ut autem vox amplificetur, grammophonum bucina²⁶ instruitur; quod si cursus seu rotationis²⁷ velocitatem temperare vis, velocitatum moderamine²⁸ uti poteris.

Sub vesperam hodie te convenientiam et in domo tua singulorum partium usum tibi enodabo. Nunc id quidem memoria tene: pinna²⁹, quae in ipso grammophono est, electridis prehensionem³⁰ facies; clavem seu vectem convertes et statim indiculum³¹ seu lumen percipies accensum; moderamina deinde vertes quibus vocis intentio³² et toni claritas³³ temperantur; rotam moderatricem velocitatum³⁴ suo

guis ad membranas telephonii, phonographii, grammophonii translata est: ita quoque latine jure facimus.

26. BUCINA [*trompa*]: adhiberi etiam potest *tuba*, ut Card. A. Bacci proponit; «veri tamen valde simile est et rectas tubas fuisse, ut hodieque; certe Vegetii tempore tuba recta fuit, ut ipse tradit... Quare differt a *bucina* et *cornu*, quae semper curva sunt». —Illam vero grammophoni curvam esse patet.

27. CURSUS - ROTATIONIS [*rotación*]: *rotatio*, quanquam non est optimae latinitatis, adhiberi tamen potest ad rem expressius declarandam et locutionem nostrae aetatis aptius definiendam.

28. VELOCITATUM MODERAMINE [*mando, regulador de velocidades*]: sunt voces novis rebus accommodatae.

29. PINNA [*enchufe, clavija*]: pergratae erunt haec legentibus quae a Patre A. Avenario et Dre. J. Holzer datae sunt epistulae de ratione latine reddendi voces *enchufe - clavija - Stcker* (cfr. PAL. LAT. 24 (1954) 194-195; 25 (1955) 104-105). —*Clavicula*, ut vox communior, accipi potest; «spina» vero non admodum apta videtur (cfr. PAL. LAT. 25 (1955) 105); neque *bipennium - bipinnium* innovare necesse est, quod a P. Avenario propo-

nitur et, rejecta dubitatione, a J. Holzer recipitur; sed substantivum optimae notae *bipennis*, *is* sufficeret —cujus primaevus sensus parum deflectitur—; nam «figurate est utrumque aciem habens; a *bis* et *pinna*, quae rem etiam acuminatam significat, ut Quintil. 1, 4, 12 docet» (cfr. Forcellini, s. v. *bipennis*). —At *pinna* saepius satis erit,

30. ELECTRIDIS PREHENSIONEM [*tomá de electricidad*]: conferantur loci supra commemorati ubi P. Avenarius et J. Holzer de re sapienter disputant. Neque hic ad «capsulam prensoriam» (*caja de enchufe - enchufe hembra*) haec verba referto, sed ad ipsam «electridis prehensionem», quae «pinnae» cum «capsula matrice» (*enchufe hembra*) conexione efficitur, eaque electris in grammophonum transit.

31. INDICULUM [*indicador*]: res consonat voci.

32. VOCIS INTENTIO [*volumen de la voz*]: Quintilianus cum de pronuntiatione et voce agit, saepius vocis et soni «intentionem» (11, 3, 40-46) et «contentionem» (*ibidem*, n. 22) adhibet, et hoc, ut credimus, sensu.

33. TONI CLARITAS [*nitidez, claridad de tono*]: cfr. *ibidem* QUINTIL. 11, 3, 41 et VITRUV. (5, 3, 7)... «ad chor-

loco pones prout unusquisque discus postulat, bracchium tandem ita admovebis ad dexteram ut discus gyros ducat, tunc denique cautissime bracchium, graphio instructum, disco aptabis, quo vocem a megaphono transmissam illico audies.

M. — Facillima ergo res; hac te nocte domi exspectabo et discorum seriem seu linguae anglicae cursum, te praesente, fausto omine incohabimus.

darum et sonitūm claritatem perficiuntur».

34. ROTAM MODERATRICEM [*regulador de velocidades*]: cfr. PAL. LAT. 30 (1960) 218, n. 11, ubi de bīrota agens eadem usus sum voce.

35. MEGAPHONO [*altavoz, altoparlante - haut-parleur - altoparlante*]: proposita sunt: «vocis propagator» (P. I. González, PAL. LAT. 23 (1953) 12); «capsa megaphonica..., altiloquium, vocis amplificator» —alia quae minus probentur— (Cognasso); «vocis am-

plificator, vocis propagator, megaphonium, megaphonum; megaphonica tuba, radiophonica tuba» (Bacci, *Lexicon*, s. v.); «megalophonum, megaphonium» (Sansegundo, PAL. LAT. 24 (1954) 215). —De ratione qua haec verba desinunt cfr. supra sub 1. Ceterum et *mega-* et *megal-* usurpan- tur, a quo et magna compositorum pars nostra aetate ficta (ut hisp. *megalomanía, megalocardia, megalocefalia, megalofonía...*) derivantur.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

PER ORBEM

«**Gymnasium**» — Commentarii optimis artibus provehendis in Columbia editi—, quod quatuor abhinc annis quolibet sese vertentis fortunae mutationes expertum, ex Commentariorum numero, qui per orbem Humanitatem excolunt incep-tum est desiderari, PALAESTRAE LATINAЕ lectores omnesque qui in litteris hu-manis elaborant, certiores animis gratulantibus facimus iterum «eadem feren-ti Graeciae et Romae memoria», fore ut, quinto quoque mense, palam evulgetur.

Gratulationem nostram, eamque plurimam, illustri Commentariorum maderatori Patri Octavio Cuéllar, C. M. F. —amico nostro et sodali— quod opus tantum tantaeque molis rem, audacter fortique animo suscepere, effus-se mittimus.

Fasciculum hujus anni 1962 primum, quod ante oculos in promptu nobis est, variis (*De Platone, De vino apud Poetas et Philosophos anti-quiores, De Horatii Arte Poetica, De mira vita Pinoculi*) constat etisque jucundis commenta-tionibus, insignibusque poëtarum et scripto-rum (*Orth, Sansegundo, González, Maffacini*) Commentarii nobilitantur nominibus.

Nec desunt quoque *Sales et joca* quae om-ne genus, lectoribus semper voluptati fuerunt. Simul cum «Gymnasio» —quo Litterarum La-

Ut faustis «Gymnasii» moderatoris utamur verbis, «Faxit Deus ut Sapien-tia per omne tempus et Pulchritudine comitantibus, omni genere bonorum «Gym-na-sium» abundet».

Latine canimus, pueri. Quis ex magistris qui in latina lingua adules-centes erudiunt, musices vim et cantus in scholis expertus non est? Scho-lam, cum gravem, fastidiosam, non ferendam reddi compereris, cantum ar-denter ordire —una, duobus, tribus, vel alternis, pueris in choros distributis vocibus—, dum musicam in schola adhibeas; et totam aulam reboare et adu-lescentium animos statim concitari, ferventesque fieri animadvertes.

Libellum, ad hoc utilissimum, cui index «*Carmina Latina*», nuper vulgatum, libenter tibi, magister, offero jucundissimum. Liber hic 50 constat cantibus seu cantilenis a cl. magistro britanno Sidney Morris collectis. *Carmina a poëtis divino quasi afflatu perculsi* ita sunt condita cantusque ita artificiosae sunt ad poëmata aptata ut libellus «summam-constituat et ad discendum facilissimam et ad

tinorum et Graecarum studia excoluntur —al-teri, qui complemento sunt *Gymnasio*, quibus index «*Paladión*» —, eduntur lingua hispanica tantum conscripta Commentarii, et lucubra-tionibus et viris illustribus decorati.

Tabulae pictae quibus varie hi exornantur Commentarii non tantum ad vitam et condi-ciones Antiquitatis Classicae collustrandas inserviunt, verum etiam ad jucundos Com-men-tarios reddendos.

audendum gratissimum. Corpus hoc in sex partes dividitur, quarum prima «*Nursery Rhi-mes*» inscribitur, secunda «*Rounds*», tertia «*Popular songs*», quarta «*Carols*», quinta «*Hymns*», sexta «*Students' songs*».

Officinam hanc librariam —si forsitan li-bellum tibi comparare succurrat— adire debes: «*Centaur Books*», L. D. T., 284 high street strong buchs (England).

Internationalis Grammaticorum Consociatio, a die 27 ad 31 mensis Augusti hujus anni, nonum Congressum, —Universitate Harvardiana atque Instituto Technologiae Massachussets constituto provehentibus—, Cantabrigiae celebrare statuit. Conventum clarissimus professor Wisconsin moderabit; operasque dabunt pro praeside illustrissimi grammatici Yuen Ren Chao (pro Californiae Universitate), Franclinus Edgerton (pro Jaliana Universitate), Carolus C. Fries et Joannes Kurath (pro Michigania Universitate), E. Adelaide Hahn (pro Hunter Collegio) et Romanus Jacobson (pro Harvariana Universitate).

Conventus deliberationibus seu colloquis nobilissimi viri J. Kurylowicz, E. Benveniste, A. Martinet et N. Chomsky intererunt. Qui de his, inter alias, disputabunt quaestiones: de via seu ratione ad Grammaticam instaurandam, de grammaticis versionis aspectibus,

de fundamento logico theoriae grammaticae, de grammatica mathematica, de phonetica et phonemica, de grammatica geographica, de mutationibus grammaticis, de notis sermonis generalibus deque aliis cum grammatica arte conjunctis problematis.

Annum fere integrum ante quam conventus coadunetur, renuntiatum est Aquis Sextiis (*Aix-en-Provence*) —mense Aprili, anno 1963, ad solemnia Resurrectionis D. N. J. Ch. Paschalia— Consociatione quae dicitur «*Guilda Budé*», curante, magnum congregatum iri Congressum.

Ex quattuor quibus Conventus constabit conciliis, primum litteris Provincialibus studebit; secundum in Provinciae praeterita —sub novorum inventorum luce, ope praesertim rationum subaquaneorum perspectorum— incumbet; tertium —quod de rebus Graecis disputationes agitabit— theatro atque stoicae philosophiae operam dabit, atque de tragoeiae origine et Graecae comoediae movebit quaestiones; quartum concilium —de lingua latina et gallica— quaestionibus de theatro

antiquo atque de philosophia stoica vacabit.

Sed cum rem scientificam cum dulci et voluptaria optime conjungi juvet, monumenta plurima viri scientifici inviserent Arelate, Massiliae, et quae Arausione (*Orange*) et Avenione magnifice ostenduntur; Olbiae reliquias et Glanum-Saint-Rémy parietinas quicque, ut earum urbium historiam recordentur, perlustrabunt. Ita viri hi per sex dies vetera novis miscentes, et animos et oculos nutrinent.

Duae inscriptiones, quae plerisque incolarum Barcinonensium sunt ignotae, nuper per «*Tabellarium Catalaunicum*» (*Correo Catalán*, die 13 mensis Junii anno 1962 editum), vulgatae sunt. Utraque —occasione pompa Smi. Corporis Christi per urbem Barcinonem ductae, quae, imbre torrentis modo effuso, ad sese recipiendum coacta est—, in domos infixa est. Earum prima —quae ad annum 1763 refertur, quaeque in domo cl. viri Puiguríguer (Montcada, 1) est sculpta— his pulcherrimis continetur verbis:

QUIA
PLUVIAE IRRUENTIS CAUSA SS^m
CORPUS DOMINI NRI JESU-CHRISTI IN
ACTU PROCESSIONIS GENERALIS DIE 13
JUNII ANNI 1762, DUABUS HORIS HIC PER-

MANSIT, JOSEPH PUIGURIGUER ET CLA-
RINA, AEDIS ISTIUS DOMINUS IN TANTAE
FELICITATIS MEMORIAM HOC POSUIT
MONUMENTUM.

Altera vero inscriptio apud Josephum Ignatium Alós et Soldevila incisa
(via «Baja de San Pedro», 65) ita magnum commemorat eventum:

SANCTISSIMO D. N. JESVCHRISTI. COR
PORI. QVOD. LATVM. ANNVA. PARO
CHIALI. POMPA. III. ID. JVNI AN. M. DCC.
XC. IMBRE. MAXIMO. DECIDENTE. MORA
TVM. HIC. EST. NOB. D.D.IO-SEPHUS. IGNA
TIVS. DE. ALOS. ET. DE. SOLDEVILA. MAR
CHIO. DE. FVERTONVEO. FELIX. AD. EVM
DIVERENTE. DEO. MONVMENTVM. POS.

Lingua Latina ad usum peregrinantium. Si quando —saepissime fortasse— in mentem tibi peregrinari venerit et homines exterorū invisere, re-giones perlustrare, urbesque novas circumvenire, memor esto maximum omnium, ad iter faciendum necessarium, lexicon esse seu epitomen ut commercium cum omnibus gentibus habere possis fraternoque foedere cumeis conjungi.

Qua vero lingua praeter vernaculam? Nulli, peregrinans, dubitari: latinam linguam adhibe quia plurimi sunt viri quos per orbem latine colloqui juvat. Epitomen ergo latinam sume amicum quo «formae loquendi, interrogandi, et respondendi», breviter contineantur. Ad hoc utilissimum tibi erit maximeque juvabit «LATINUM AD USUM PEREGRI-NANTIUM» a cl. v. Georgio Stoltz conscrip-tum et cyclostilo vulgatum. Plurimis variis que omne genus locutionibus ornatur quae

vivum faciunt sermonem cotidianum, quas-que, ut apes mellifera, ex optimis libris, sicuti ex floribus, amore et studio maximo cla-rissimus scriptor selegit. Inter libros eosque bonos quos consuluit, «Nova et Vetera» libel-lum a P. Josepho Mir, C. M. F. conscriptum, illustris auctor Georgius in praefatione me-morat.

Libellum ergo Georgii Stoltz adhibite, lec-tores, commodoque maximo vobis per orbem peregrinantibus erit...

Amplissimus vir Petrus Romanelli, in latinis litteris eruditissimus, Instituti Romanis Studiis provehendis Praeses, occasione oblata anni anni-versarii 2715 a Roma condita, apud Nationis Praesidem, totoque populo Romano audiente, orationem, italice prolatam, in Capitolio die 21 mensis Aprilis, hoc anno accuratissimam «De Constitutione Antoniniana», habuit et luculentissimam. Qua Constitutione a Caracalla, anno 212 post Ch. n. lata, jus civitatis omnibus imperii Romani incolis datum est.

His venustis de Rutilio Namásiano (*de red. suo I, 63 et sqq.*) desumptis verbis cl. vir Romanelli initium dicendi fecit: «Tu Roma

«fecisti patriam diversis gentibus unam
profuit invitisi, te dominante, capi;
Dumque offers victis proprii consortii turis
Urbum fecisti, quod prius Orbis erat».

Quae verba —contioni de Constitutione Antoniniana accommodatissima— locis et hisioria sapienter interpretatus est cl. orator et illustravit.

Praeclara quoque illa fuit occasio ut praemio «*Cultori di Roma*» nobilissima femina americana L. Ross Taylor —Antiquitatum Romanarum maxime studiosa— decoraretur, et ut victores XIII^l Certaminis Capitolini donarentur praemiis.

Data opportunitate, libentibus animis, iis omnibus qui scriptioribus vacant nuntiamus, nuper documentum graece scriptum, quo *Constitutio Antoniniana* aliquantum illustratur, Inventum esse. Papyri Inventae haec sunt imperfecta verba: «Διδωμι τοῖνασιν ἀπαστρένοις κατὰ τὴν οίκουμένην πόλιστείαν Ρωμαίων [μένον-

τος] τοῦ δικαίου τῶν πολιτευμάτων χωρὶς τῶν δεδειτικίων».

Quo cl. vir Seston nixus documento existimat post Constitutionem Antoninianam, unum tantum jus civitatis —Romanum — fuisse, quod varie tamen locis accommodatum est.

In usu est frequenti apud scriptores nostros, italos praesertim, in latinum poēmata vel operum auctorum classicorum fragmenta convertere ut quemadmodum lingua latina —flexilis, facilisque — ad omnia accommodari possit, patefiat. Libentissime hodie de primi Purgatorii cantus conversione, a cl. viro Petro Bruno —bonarum artium doctissimo—, latine reddit, lectribus nuntium facimus. (*Rivista di Studi Classici*, Gennaio-Aprile, 1962).

Quam si legeritis, maximam ex ea volup-
tatem percipietis. Aliquot tamen —eaque par-
vi momenti— animadvertisimus itala verba
quae Petrum Bruno fugiunt. Ex quo efficitur
ut ea, quae praeclarissimus vir Dante 136

ore rotundo cecinerit versibus, Petrus Bruno modo dicendi brevi, presso, demenso, 114 hexametris tantum adhibuerit... Quod haud dubio maxima est virtus.

Iterum de latinis litteris appellandis. — Occasione data Constitutionis Apostolicae «*Veterum sapientia*», in Commentariis qui «*L'Osservatore Romano*» (die tertio mensis Februarii anno 1962 editis) inscribuntur, aliqua, maximi ducenda, a cl. P. Alberto Vaccari S. J., de litteris latinis appellandis, in lucem edita sunt. Post firmam et documentis ecclesiasticis nixam commen-
tationem (ad hoc auctor usus est «*Libro interpretationis hebraicorum nominum*»), cuius editio nova ab illustrissimo v. Adriaen est parata, ita cl. P. Albertus Vaccari —summatim exponam— argumentum facit: Cum ad Antiquitatis Christianae finem linguae latinae classica appellatio revera proprie vigeret atque floreret —quod Sanctorum Patrum, Sancti Augustini et Hieronymi praesertim, facillime probatur scriptis— ea litterarum latinarum christiana et classica appellatio seu pronuntiatio, ab omnibus adhibenda est.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

GALINO, MARÍA ANGELES. — *Historia de la Educación, edades antigua y media*. Biblioteca Hispánica de Filosofía. Pag. 596, 24 x 16. Editorial Gredos, Madrid.

Cultores artis scientiaeque Paedagogicae habent in hoc amplioris synthesis volumine jucundissimum studii tanquam viridarium. Educationis historia, in triplici provincia factorum, normarum speculationisque, dextro calamo et ingenio perpolito, in commodum potissimum juniorum patefit a clarissima Magistra M. A. Galino.

Historiam educationis, aetate antiqua et media, primum hoc densum volumen amplectitur. Jam index nominum (pp. 567-568) ex dissitis variisque populis, molem dicerem eruditioris, ostendit. Aptius in praefatione propositum auctricis una cum methodo adhibita convincitur.

Quattuor in amplas partitiones volumen disponitur: I. *Educatio in antiquo Oriente*, (pp. 11-112). II. *Educatio in «mundo classico»*, (pp. 113-304). III. *Educatio in «mundo judaeo christiano»*, (pp. 305-418). IV. *Educatio medii aevi*, (pp. 419-566).

Unicuique vero ex quattuor et triginta capitibus, hisque doctrina refertis, et textus et bibliographia inseruntur. Merito opus hoc de re bibliothecam nuncupes. Ac merito eminentem locum in «Biblioteca Hispánica de Filosofía» occupat, ab egregio Professore Angelo González Alvarez recta.

SOFOCLE. — *Electra*, a cura di A. Maddalena. Pag. 164, 21 x 13. I Classici della Nuova Italia. «La Nuova Italia» Editrice, Firenze.

Volumen quartum et quinquagesimum in bibliotheca «I Classici della Nuova Italia»; quae in recentioribus Collectionibus scriptorum graecorum et latinorum apud Italos numeratur: commentaria vero sunt hodierna

arte critica ornata, interpretationes aestheticae et cursus philologico omnino convenientes. Haud mirum igitur si domus Editrix magnos obtinuerit in dies successus.

In hoc scholari volumine editur textus «Electrae» Sophoclis, una cum commentario eruditissimo, a claro Professore Antonio Maddalena exarato. Non nulla de tragœdia et de tragœdis graecis in praefatione delibantur, textus intellectioni accommodatur

Non agitur de vera versione textus graeci, sed de commentario; verum totus fere conversus est in linguam italicam. Liber hic multum studentibus litterarum graecarum, ni multum erro, cordi erit, quippe qui facilissimam reddit intelligentiam textus, vel his in locis ubi sapientium diversa datur sententia.

CICÉRON. — *Discours*, tome XX. Philippiques V à XIV. Société d'Édition «Les Belles Lettres», Boulevard Raspail, 95, Paris.

Decem orationes Philippicae, a quinta ad decimam quartam, denuo eduntur a nobilissima Societate «Les Belles Lettres». Earum vero latinus textus dispositus et conversus est in linguam gallicam a clarissimo viro Petro Wullemier, in Facultare Litterarum Parisiensi Professore. Liber autem comprobatus est, mandatu Societatis Guillaume Budé, ab egregio Professore P. Boyancé de litteris latinis bene merito.

Unicuique ciceroniana orationi erudita praemittitur notitia, una cum synopsis compositionis litterariae et rhetoricae. Apparatus criticus, ut in universo Corpore usque ad nostram memoriam aptatus, commodiori orationis intellectioni perutilis est. Vel brevissima Philippicarum fragmenta sedulo ad finem libri colliguntur. Indice deorum hominumque volumen finitur atque completur

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

BASSOLS DE CLIMENT, MARIANO. — *Glossarium mediae latinitatis Cataloniae*. Fasc. I: *a - aragalius*. Universitas Barcinonensis, 1960.

Primus fasciculus magni illius «Glossarii mediae latinitatis Cataloniae» ad nos usque pervenit. Opus prolixioris investigationis hoc maximisque momenti in linguarum romanarum studio promovendo. Professor Marianus Bassols in Facultate Philosophiae et Litteratum Universitatis Barcinonensis Decanus, operis editioni praest, cui quidem sunt socii peritissimi, J. Bastardas Parera, E. Rodón Binué, D. Condom Gratacós, R. Quevedo Sensat, M. C. Català Poch.

Hoc in Glossario afferentur voces latinae et romanicae comprobatae in monumentis seu fontibus catalaunicis ab anno 800 ad annum 1.100. Notantur etiam variae lectiones seu formae phoneticae et morphologicae atque constructiones syntacticae, quibus monumenti praecipua vis inest. Labor via ac ratione prorsus scientifica procedit.

Unicuique fasciculo Glossarii folium includitur, ubi sigla recensentur atque breviationes bibliographicæ in eodem usitatae. Magnam sapientium aestimationem huic philologico monumento omnino amur, totoque nostro cumulamus plausu Barcinonensis Univeritatis Professores, qui tantum sibi impo- suerunt ponderis et in verbis seligendis et enucleandis peritissimi sunt.

UGUCCIONI, RUFILLO. — *Ragazzi, facciamo il componimento*. Seconda edizione. pag. 220, 21 x 13. Torino, Società Editrice Internazionale. Corso Regina Margherita, 176.

Ratione et via primæ in scriptiunculis exarandis Italice normae, discipulis a clero magistro R. Uguccioni, hoc in libro propnuntur. Et alumnis in primis scholarum mediarum inferiorum eae normae dicantur, quibus selectae et lepidæ narrationes, animi gratia, commiscentur.

Magister et alumni hic quasi ludunt: quo scriptioñis pensum, re facilissime excogitata, et jucundissimum menti juvenum redditur. Argumentorum autem delectio quasi gradatione procedit, divisiones in libro frequentissimæ,

tanquam tractus commodissimi, in difficulti stili arte exaranda unaque addiscenda. Usus, non mensura logica, in hoc cursu prima fronte apparet. Trta illa lex Quintilliani, in docendi methodo descendique, a clarissimo auctore vivide traditur: Exempla multa, leges vero paucae, breves, lucidae. Hac porro via longius procedere, in arte scribendi, necesse omnino est.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MENNA, PAOLINO. — *Aspetti sintattici e lessicali di carattere intimo e familiare nelle lettere Ciceronianæ*. Tip. D. Basilicata e figli, Nola 1955. pag. 144.

Ut auctor ipse in prooemio (pag. 7), quod toto operi anteit, significat, in animum induxit legenti praebere «studio metodico, ordinato, meticoloso e paziente e in forma dimostrativa» qua «gli aspetti sintattici e lessicali di carattere intimo e familiare nelle Ciceronianæ» enodantur.

In duas simplices partes liber dispartitur:
I. *Aspetti sintattici...* et II. *Aspetti lessicali...*

Quarum in prima parte (pag. 15-78) cl. Prof. Menna de verbi «esse» usu et significazione in Ciceronis epistulis dilucide disputat; item de verbo «esperare», quod, modo infinitivo constructum, idem valet ac «putare» seu «existimare»; deinde de verbis «affectus», quae modo infinitivo saepissime construuntur; deque ellipsi, seu arte breviter dicendi et raptim, quam Cicero crebro adhibet; tandem de dativo ethico.

In altera vero operis parte (pag. 81-133) vocabula archaica (*sodes, ast, facteon, scin, ni, istim, faxint...*), nomina substantiva abstracta quae in -or, -io desinunt, nomina diminuta familiaria, adjektiva atque multa verba (*transito, cenito, ito...*) vel vocabula quae apud Ciceronem sunt in usu, colliguntur. Tandem cl. auctor caput de superlativis (v. g. (*gypsuttissimus, aversissimus...*)) deque comparativis Ciceronianis proponit.

Omnia perspicue, lucide, illustraque ingenio atque summa rei cognitione a clarissimo Prof. Menna traduntur et enucleantur.

Si igitur Ciceronis litterarum colorem seu familiarem indolem vis, humanissime lector,

percallescere, librum hunc optimum adi et utilissimum, quem Paulinus Menna Ciceros litteris studentibus libenti animo exaravit.

JESUS ARAMENDA, C. M. F.

DAVID, MAURICE. — *Comment enseigner la rédaction, ou l'art d'écrire par l'étude des textes*, pag. 136, 19 x 12. Fernand Nathan, Bibliothèque Pédagogique Paris.

Propositum clarissimi auctoris, ex ipsa libelli inscriptione, aptius explicatur. In quatuor capita tota res distribuitur: I. L'énoncé d'un fait: la phrase (pp. 9-21). II. La description (pp. 22-53). III. Le récit (pp. 54-90). IV. Autres sujets (pp. 91-131).

Primus hic liber, in nobili illa «Biblioteca paedagogica», quae illis commendatur, qui disciplinis «primi gradus» operam sedulam intendunt cum in scholis primariis, quae proprie dicuntur, tum in collegiis studiorum generalium. Quae studia moderatur clarus vir M. David, Praefectus Generalis Institutionis in Gallia.

Opus vero potissimum auctoribus scriptorum dicatur, instituendis in variis scribendi artificiis, in mendis frequentioribus vitandas, in problematum solutionibus afferendis.

Altius autem bibliothecae libri: «Delineatio, Educatio physica, Historia Regionalis, Geographia localis et regionalis, Musica, Scriptio». Maximo illi libri magistro erunt adjutorio in scientia sibi comparanda et eam in discipulorum animis sensim instillanda.

GARMENDIA DE OTAOLA, ANTONIO, S. J. — *Educación cinematográfica. (Guía práctica para cines y cine-clubs)*. pag. 212, 20 x 15. El Mensajero del Corazón de Jesús, apartado 73, Bilbao.

Clarissimus hujus libri auctor moderatur illud corpus «El cine de hoy». Primum hoc volumen, quod et alia mox ab eodem exarata consequentur. Doctoris honore et munere cumulatus in Paedagogia et Psychologia, in Universitatibus Lovaniensi et Tolosensi, tanquam optima Patris A. Garmendia praeparatio ad haec nostrorum temporum artificia fo-

venda christianoque modo apud populum propagandam.

Praefatio brevis; ut Assessor religiosus Circulorum cinematographicorum (cine-clubs) «FAS» Bilbat, libri propositum auctor explicat ad rem de doctrina catholica et pontificia Institutionis cinematographicae. Editur documentum «Motu Proprio» Sanctissimi Domini, Papae Joannis XXIII, de Pontificia Commissione circa cinematographiam, radiophonum, televisionem.

De usu et consuetudine in dioecesi hujusmodi doctrinae non nulla proponuntur. Bibliographia hispanica de historia technica, arte, educatione cinematographica, cum commentaritis, schedulis, «annuaritis» aliisque promulgationibus. Tandem modulus pellicularum (guion) (1954-1959) atque index pellicularum (1943-1959). Liber vere aureus iste que utilissimus, qui de arte catholica in cinematem quicquam percipere exoptant.

I GONZÁLEZ, C. M. F.

GARMENDIA DE OTAOLA, ANTONIO. — *Estética y Ética del Cine*. pag. 324, 20 x 15. El Mensajero del Corazón de Jesús; apartado 73, Bilbao.

Alterum volumen in illo Corpore «El Cine de hoy». In octo eruditis capitibus, disseritur a clarissimo Patre Garmendia de aesthetica et de ethica in cinemate hodierno. I. Cinema et litterae (pp. 9-26). II. Aesthetica cinematatis (pp. 27-54). III. Ethica cinematatis (pp. 55-78). IV. Quae pellicula perfecta (pp. 79-104). V. Pelliculae analysis (pp. 105-124). VI. Sciduae cinematographicae (pp. 125-164). VII. Moduli cinematographicci (guiones): Fragmenta (pp. 165-214). VIII. Modulus et ratio (guion) pelliculae «Jeromín» (pp. 215-322).

Liber iis sane utilis, qui de arte et technica cinematatis hodierni agunt, ad informandam conscientiam christianam. Est opus hoc, apud Hispanos vere «Guía práctica para Cines y Cine-Clubs». Et etiam in provincia novarum inventionum dari potest verus apostolatus. Cujus quidem antesignanus P. Garmendia de Otaola.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MOELLER CHARLES. — *Literatura del siglo XX y Cristianismo. II. La fe en Jesucristo.* Versión española de José Pérez Riesco, 2.ª edición. Editorial Gredos, Madrid, 1959. Pág. 403.

Inter viros optimarum artium studiis eruditos constat sacerdotem Carolum Moeller —vīrum litteratissimum judicemque criticum gravissimum—, opus hoc unum insigneque aggressum esse: id est philosophicas doctrinas atque scriptorum hodiernorum litteras cum christiana fide conferre ut —quibus rebus consentiant quibusque dissentiant compertens—, de re maxima, fundata opera, quae plurimi ad disciplinas pertinet, in lucem librum ederet.

Ex septem quibus opus totum constat voluminibus, hoc II, quod inscribitur «*Fides in J esum Christum*», quatuor dicatur gallis scriptoribus —Joanni Paulo Sartre, Henrico James, Rogelio Martin du Gard, Josepho Malègue—, quibus fides supernaturalis, quae fuse in volumine tractatur, aut nulla aut maximam partem est ambigua. Incerta Clarissimus scriptor Carolus Moeller acriter, strenue, fortiter, sed ordine, perlucido dicens modo, perspicaci prudentia, vi atque maxima mentis sollertia, de multis quaestionibus —«existentialismo, rationalismo, antitheismo, atheismo.— aliisque plurimis cum fide relatis disserit problematis, ita ut, recusatis repulsisque scriptorum acatholicorum adversum nostram fidem sententias, atque ex eis quibusque optimis selectis, excellentia et fidel supernaturalis dignitas promineat et fulgeat.

Quem insignem laborem —affabre, subtiliter, singularique arte— Carolus Moeller perfecit.

Nunc ad volumen ipsum veniamus, de quo —licet tardí extremique sim ingenii— quae sciam plane, simpliciter exponam.

Liber praefatione (pag. 19-39) ornatur ubi de iis qui fidem nihil curant («los que no notan nada»), de rationalistis («el silencio de Dios»), de «antitheismo», seu de iis qui nolunt Deum quaerere («saben que Dios existe, pero no quieren que exista»), de verae fidei notis luculentissime disputat auctor.

Praefationem sequuntur quatuor commen-tationes quarum prima et, nostra sententia,

praecipua, Joanni Paulo Sartre («La negación de lo sobrenatural») destinatur (pag. 41-114). Paucis scriptoris sententiam absolvamus.

Carolus Moeller, operibus Sartre perpensis («L'être et le néant» et «Le Diable et le bon Dieu») —in scaenam haec fabula composita—, ponderatisque quoque operibus aliis de Sartre scriptis, Joannem Sartre statuit vere atheistum esse, immo vero «antitheismum» defendere («Dios no existe, ni debe existir»); id est, ut meltus Deum oppugnet, «se forja una caricatura de Dios».

Multa tamen Carolus Moeller laudanda plurimique ducenda apud Sartre inventi. Et in primis modum dicendi perlucidum, poëticum, vividum, et quae de conscientia Sartre subtiliter exponit.

Parte secunda (pag. 115-170) qua de Henrico James («El ateísmo mundano») erudite ut solet, Moeller disputat, quinque constat capitibus: I. *El arte de James* (agitur de James, fabularum scriptore, ubique terrarum clarissimo). II. *Significación religiosa de la obra de James* (*Nostalgia de la Iglesia católica; la nada de la vida humana; la posesión diabólica*, ubi narrationem explicat foedissimam ex qua multa lugenda scriptor deducit); III. «*Los Embajadores*»; IV. *El ateísmo mundano*, qua in paragraphe sententiam et doctrinam James exponit «Deum ex mundi vita omnino abesse»; V. *El camino de la fe*, quod caritate, et peccatorum confessione consequitur. In tertia libertate (pag. 171-223) artium studiosis doctrina et Rogelii Martin du Gard opera traduntur; de opere vero «*Thibault*» legendo assertit Moeller se consumpsisse «algunas de las horas más hermosas de mi vida» (pag. 38). Sed incommodo accedit quod Martinus du Gard factus est «cronista de esta generación y después de haber dicho adiós a la fe cristiana, creyó encontrar en la mística laica y ciencista la única esperanza digna del hombre» (pag. 171).

Caput II magni videtur esse momentum: *El afrontamiento intelectual*, ubi de «rationalismo, fidelismo, pragmatismo», ceteri. affabre disputatur.

Quo in capite auctor Moeller asper, ferreus cum opere, non cum homine Martin du Gard —qui pessimae institutionis fuit victima— gerere sese videtur.

Quarta tandem parte (pag. 225-348) quae clarissimo viro Malègue («*La penumbra de la fe*») dicatur, totum Caroli Moeller clauditur volumen.

Doctrina de «Malègue», opere eo perfecto atque absoluto, quod «*Augustin*» inscribitur, continetur. Doctissimi scriptoris Moeller sententia, paucae sunt, ut haec fabulae in quibus clarus tres notas seu praecipua fidei catholicae signa (supernaturalis, liberae, rationalis) consistere patet. Haec libri quarta pars duplicitate distribuitur:

I. *La sinfonía en negro: las clases medias de la salvación, seu de reditu ad fidem Christi fidelium;*

II. *La sinfonía en blanco: «Augustin ou le Maître est là». Qua in parte auctor proponit iter religiosum sequi.*

Liber clauditur commentatione (pag. 349-384) qua breviter doctrina totius libri sub fidei catholicae lumine comprehenditur

Volumen hoc II optima bibliographia locupletatur (pag. 11-12) et propriorum nominum indice (pag. 395-398).

Liceat mihi tandem —ne plura addam— libri nuncupationem legentibus praebere: «*A los golfillos de los suburbios de París, con quienes convivi en las vacaciones de 1935. Porque tentan fe; y a mis alumnos de la Universidad de Lovaina, para que su fe sea verdad y vida en Jesucristo».*

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F

DELAUNOIS MARCEL. — *Le plan rhétorique dans l'éloquence grecque d'Homère à Démosthène.* Palais des Académies, rue Ducale, 1. Bruxelles. Pag. VII-XXI, 1-131.

Cl. Marcellus Delaunois —in litteris latinis graecisque exultissimus— hunc fasciculum foras vulgavit mirificum, de rhetorica et eloquentia graeca, quem diu mente conceperat, eoque multam, partim nobis ignotam, doctrinam eruditissime exposuit atque plenissime de re dixit.

Plurimae sunt in libro virtutes quarum haec est prima: Auctor —qui diu noctuque oratores graecos animo tractavit—, viam propriam et rationem «graphicam» eos interpretandi tradit, qua studiosus ductus, uno

oculorum conspectu, numerum et motum orationum distinguere et percipere possit.

Post aliqua de ratione «graphicis» utilissima deque ejus praestantia (cap. I), speciatim de Hesiodi et Homeri eloquentia, expedite et subtiliter agitur (cap. II); sequuntur aliqua de origine et primis oratoria progressibus (cap. III); et elaboratissima de oratoribus atticis dissertatio (cap. IV); fasciculum absolvitur commentatione de Demosthenis oratoria quae in summo est honoris gradu collocata (cap. V).

Quae capita sequuntur album seu descrip-
tio (pag. 96-131) orationum praecipuorum
scriptorum graecorum, inter quos principi-
tum Demosthenes obtinet. Quae descrip-
tio a clarissimo Marcello Delaunois facta digna est
quae vehementissime laudetur et singularis-
simis gratulationibus decoretur.

Operi anteit praefatio (pag. VII-X), ta-
bulae chronologicae oratorum (pag. XI), et
operum artis oratoriae, de quibus in fasciculo
(pag. XII-XIV) disputatur; et uberrima bili-
ographia (pag. XVII-XXI).

Fasciculum linguae graecae magistris ma-
xime commendamus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

RIVIERE, J. R. — *El pensamiento filosófico de Asia.* Edit. Gredos, 1959, Madrid.

Rudyard Kipling, nobilis ille scriptor, Orientem cum Occidenti unquam esse con-
venturum negaverat («Never the twain shall meet»). Quod Dr. J. R. Rivière totis viribus
suo opere redarguere contendit. Nam diffi-
cilitatibus quae cum in cogitando tum in
dicendo insunt superatis, mentem sensumque
Indiae ostendit penitus inter se cum occidenti
cohaerere. Tamen prorsus sane miranda J. R.
Rivière prudentia qua medium tenet iter inter
eos qui sensa occidentalia orientalibus servi-
litati applicant et eos qui omnem cogitatio-
num philosophicarum Orientis vim et virtu-
tem adimunt, quae aliquo certe modo ad
Occidentem spectant.

Alterum operis meritum appetet in notu-
larum bibliographicarum copia (33 pag.), qua
fontium hujus modi primigeniorum inopiae
subvenitur, cum populi orientales plerumque
historia scripta careant.

Liber Dris. J. R. Rivière miram animi contentionem ostendit in explorandis ferme adhuc integris finibus indiologiae. Varia operis capita dicantur decursu et progressioni cogitationis philosophicae diversarum secrum seu Scholarum. Appendix modo brevis artis summa etiam invenitur, qua auctor demonstrare ntitur quantum vis et momenti apud orientales cogitata philosophica et relata glossa in normis et rationibus artis habeant: «ars nihil aliud quam visualis rituum Interpretatio». Glossario demum verborum rerumque quae in opere memorantur facilior labor redditur legentibus.

Opus ergo studiosis aptissimum cum ad ingrediendas philosophiae orientalis quaestiones tum ad cogitata Orientis et Occidentis inter se conferenda.

M. MOLINA, C. M. F.

WILLY ZSCHIETZSCHMANN. — *Prométhée: Histoire illustrée de la civilisation grecque et romaine*. Traduit de l'allemand par SIMONE WALLON. Presses Universitaires de France. 108, Boulevard Saint Germain, Paris VI^e. 1960. Pag. VII-LXXI - I-504.

Cl. scriptor germanus —quem maximis dehinc prosequimur laudibus— optimusque est imaginum luce expressarum auceps, opus hoc eo animo et consilio offert ut per photographias et tabulas depictas, quibus 406 exornatur liber, rem totam de antiquitate classica Graeciae et Romae lector historiae studiosus capiat.

Imaginiæ ergo ut ipse refert cl. auctor «ne sont pas... destinées à retenir notre attention par leur intérêt artistique, mais bien par leur intérêt documentaire». Photographiae —uno conspectu— effingunt atque exprimunt vitæ antiquæ condicione, festa, occupationes et hominum negotia, signa, monumenta, templa, ludos, exercitia gymnica, sculpturas terra cocta, aere vel ligno effectas, aliaque multa, et lepidissima et historiae maxime utilia, quae nobis vitam, cultum et religionem Graeciae, Romae, Etruriae propinquam novamque faciunt. Summatim antiquitas tota classica ante lectoris oculos quasi per «pellículam», explicitur.

Notulae et commentaria (pag. IX-LXV), quae ad photographias et libri imagines illustrandas ab auctore praebentur, perspicua, lucida sunt et elaborata quippe quae a viro in re peritissimo facta sint.

Opus magno commodo futurum et voluptati rerum graecarum et romanarum studiosis ducimus.

JESUS ARAMENDA, C. M. F.

LACARRIERE JACQUES. — *Sophocle*. Coll. «Les grandes dramaturges». Editions L'Arche, Paris, 1960. Pag. 144.

Pauci de hoc, quem vobis offero, jucundissimo libro judicium lectoribus faciam. Illustris v. Jacobus Lacarrière —qui diu multumque de Sophoclis fabulis animo volutavit— pagellis 144 tantum —summam altissimamque doctrinam praebet de origine, arte, tragœdiae ratione, de heroe tragicō, de causis illis quibus herois animus fortis redditur, de pugna adversus Fatum, de proprietatibus Sophoclis tragœdiarum deque processu seu motu tragicō qui a «Trachintis» usque ad «Oedipum Coloneum» evolvitur.

Omnia sane cl. auctor acu, ut ita dicamus, attingit.

Alia, eaque utilissima magistris praesertim quorum est opera Sophoclea alumnis exponere et perpendere, adduntur; id est septem Sophoclis fabularum conspectus: exornatio, personae chorus et tragœdiae summariū.

Liber 16 photographis collustratur —ex fabulis Sophocleis decerpatis Athenis vel Parisis in scaenam inductis— quae rem tragicam vere vividam, hodiernam reddunt.

Bibliographia locuples praebetur.

JESUS ARAMENDA, C. M. F.

SCHMITZ, ALFRED. — *Infelix Dido*. Etude esthétique et psychologique du livre IV de l'Eneide de Virgile. Pag. 252, 20 x 13. Editions J. Duculot, S. A. Gembloux, Belgique.

En tibi commentationem aestheticam et psychologicam libri IV Aeneidos Vergilianaæ a clarissimo Professore A. Schmitz exaratam. Quod in his pagellis optimum est, ut ipse

fatetur auctor, debetur animi ardori, curiositati, mentis acuminis ejusdem alumnorum in Arte Rhetorica. Est quasi fructus laboris inter sese magistri et alumnorum animo conjunctorum.

«A tour de rôle, ils ont analysé, devant le micro du magnétophone, les divers épisodes de l'émouvante tragédie du livre IV de l'Enéide, pour se soumettre, après leur exposé, à l'impitoyable critique de leurs condisciples». Enimvero libri ab A. Schmitz adhuc editi ad renovandam pertinent disciplinam linguarum pristinarum, in eo cursu quo studia humanitatis absolvuntur. Ejus modi sunt: «Cicéron, I Catilinaire; Virgile, Enéide, livre I et II; Platon, Criton».

Maximi quidem stimuli est auctoris praefatio (pp. 7-14) Propositum in introductione exponitur (pp. 15-20). Et textus libri IV Aeneidos consequitur cum omnibus numeris absoluta analysi (pp. 20-250). Exstant tabulae geographicæ itinerum Aeneae, quinque scita diagrammata, diagrammaque evolutionis tragediae et in contrarium actionum. Utinam haec numero augeantur opera, in commodum alumnorum qui litteris latinis et graecis operam dant.

I GONZÁLEZ, C M. F.

ARIAS ENRICO PAOLO. — *Problemi di storia dell'arte greca*. Casa editrice Prof. Riccardo Patron. Bologna, 1956. Pag. 103.

En tibi, lector, fasciculus — cyclostilo sed lucidis litteris expressus —, quo, centum tribus paginis tantum, quaestiones seu problemata continentur quae ad artem graecam spectant.

Indiculum lege quo aliquam de libello notitiam — fere totam — percipies.

Ars narrationis, naturalis, ornamenti, geometrica. Ars graeca a postremo saeculo sexto usque ad medium saeculum quintum a. Ch. n. Polygnotus a Thaso. Quattuor Phidiae in Parthenone sculpturæ Polycletus. Praxiteles. Scopas. Lysippus. Artis Pergami, Alexandriae, Rhodi problemata.

Praeter brevitatis virtutem cum perspicuitate quadam conjunctam — quae in toto lucet fasciculo —, hanc cl. auctor Paulus Henricus praecipuum meretur laudem: quod, ut curiosus lector opera de re consulere possit,

in postrema singulorum capitum pagina vel intra capita bibliographiam hodiernam assert et locupletissimam.

Libellum hunc legas rogo et quanta, eaque optima, bonus scriptor paucis absolvere possit, comperies.

SEVERYN S. A. — *Grèce et proche-orient avant Homère*. Office de publicité, S. A. Bruxelles, 1960. Pag. 242.

Anno 1944 vir A. Severyns —clarissimus in Universitate Leodiensi Professor— opus «Homère, Le cadre historique» ediderat. Sed cum tantum incrementum antiquarum rerum scientia fecisset (inventione praesertim ab illustrissimo viro Michaële Ventris —1922-1956— scripturae linealis B. facta), totius primi operis argumentum amplificare, novare iterumque foras evulgare librum necesse fuit.

Scriptor ergo doctissimus Severyns —explorationibus notitissime quae ad philologiam, historiam, archaeologiam spectant, diligenter, sapienterque compositis—, hoc novo volumine certiores de aetate illa antiquissima nos facit: de praehistoricis migrationibus, quae doricae dicuntur, de vocabulis locorum et hominum, de lingua aegea; deinde brevem auctor primarum Cretae aedium regiarum (ad annum 2000-1700) conspectum praebet atque de Indoeuropeis gentibus aliqua magni momenti affert, ex quibus omnibus haec cl. scriptor infert: primam irruptionem seu indoeuropearum gentium occupationem ad 2450 a Ch. n. accidisse (pag. 68). Agit deinde auctor (pag. 151) de vita illa et societate nobis Gnost et Pyli tabellis patefactis (quid wanax temenos et ktonia, quid lawagetas, cet. significant), deque quaestionibus quae ad cultum ante Homerum florentem spectant.

Volumen bibliographia optima indicibus que varis completur. Tabulas pictas aliquot continet quae ad libri argumentum illustrandum maxime valent.

Quibus omnibus ex imo laudibus et gratiis auctorem A. Severyns cumulamus maximis, qui hunc de rebus fere ignotis —necessariis tamen ad Homeri aetatem interpretandam— gravissimum librum concepit et in lucem edidit.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARI

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Galia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania
2 marcs; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VIII — (FASC. III) — N. 31

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXII

Quam Patris figuram prae se ferat Joannes Pontifex Maximus



Gentes omnes et vereri et amare Joannem, sumnum Christianae reipublicae parentem, tantoque exultare patre nemo est qui non videat.

Quid mirum?

Ejus enim mos est, qui humilem Petri Apostolorum principis successorem se se nuncupare gaudet, ad omnes facile accedere eisque consilia dare, quae rerum cognitione et usu commendentur, solacium offerre jacentibus, animos ad altiora excitare.

Cum habet contionem apud viros doctos aut fideles suburbii, apud pecuniosos aut indigentes et opifices, apud grandiores natu aut pueros, semper illis utitur verbis, quae ad veritatem, ad humilitatem, ad patientiam impellunt; «dicit enim ut pater, qui, filiis stipatus suavissimis, apud focum loquitur» —Ex verbis ipsius Joannis—.

Jam talis Pontificis effigies eadem est ac quae de suo parente unusquisque nostrum finxit, quare vultus ejus hilaris et verba suavia quasi consignata in animis omnium sunt.

Omnis perpetuo amat Joannes; neminem excipit; nam, cum servire Ecclesiae velit, aspectum ad homines universos convertit, ut ad eandem fidem eos reducat, ad amplectendam pacem inducat.

Totum enim Ecclesiae munus, cui praeest, —ut ait ipse Joannes— paucis illis verbis Jesu perstringitur: «ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur?» (Luc. 12, 49).

Scrib. Romae, XIV Kal. Apr. a. MDCCCLXII.

CAJETANUS M. DOLCIMASCOLO, *Sodalis Cusmanianus.*

BARBAE CAERULEAE FABELLA

1. *Helena regi nubit.* — Ex tot tamque formidulosis, quam audistis, fabellis, paucae sunt, omici, quae ut Barbae Caeruleae narratio, tantum animo iniiciant formidinem.

Multos abhinc annos vir fuit, opibus insignis, qui domus venustas, lata praedia, duodecim ex auro raedas, magnificamque aedem regiam habebat. Haec autem divitiarum miracula nihil proficiebant ut amicos sibi conciliaret; vultus enim ejus propter barbam caeruleam, quae ei ad pectus pendebat, — et quo Barbae Caeruleae nomen rex habebat — speciem ita foedam et informem praebebat ut nemo apud eum vivere ouderet.

In Barbae Caeruleae familiaritatem domina, duarum filiarum mater venerat, quae ad regiam aedem vitam agebat. Quodam die rex ab ea unam ex puellis sibi uxorem petivit; cum rumor tamen esset illum superiores uxores necasse, neutra soror animum, ut regi nuberet, induxit. Barba Caerulea vero qui callidus subdolusque maxime erat, eas una cum matre et amicis, ut dies aliquot festos apud se agerent, invitavit.

Quae invitatio cum blanda atque jucunda esset, omnes se adituros libertibus animis polliciti sunt.

Tunc Barba Caerulea, ut animos invitatorum relaxaret sibique amicos et amicas conciliaret, sollemnia egit, ludos varios, venationes, saltuum certamina edidit atque lautissimas instruxit epulas. Tanta fuit relaxandi animos occasio tantaque oblectamenta ut eis tempus dormiendi deesset.

Quo factum est, ut minor sororum natu — cui Helena nomen —, tanta luxuria et venditatione allacta, a Barba Caerulea devinceretur eique nuberet.

II. *Quid, rege absente, occidit?* — Vix a nuptiis conciliatis mensis transierat, cum Barba Caerulea sic uxorem monuit:

— «Uxor mea, inquit, iter in longinquam regionem sum facturus ibique per duas saltem hebdomadas manebo....».

— «Tibine me comitem esse vis?», eum Helena interrogavit.

— «Minime, hoc fieri non potest; nolo tamen te, me absente, taedium pati. Quam maxime oblectare. Fac ut soror, mater, amicae tuae veniant vilasque meas et praedia perlustrent. Hunc sume «clavicularium» (*llavero*) quo omnes continentur regiae claves. Hae sunt vestiarii, hae armarii ubi gemmae ex auro et argento asservantur, hae pecuniae arcarum. Hanc denique accipe claviculam qua ceterae omnes aedis regiae januae praeter unam resserantur. Illa enim porta pulla, quae in extrema est pinacotheca hac tantum clavi aperiri potest. Accipe... Omnia igitur videre poteris, sed prohibeo te conclave illud ingredi. Si quando aperies, morieris».

Amici invitati aedem regiam visuri libenter adierunt, et Helena duce totam lustraverunt domum. Quod si haec res speciosa videbatur, illa multo videbatur venustior. Stragula, solia, solaria, mensas, mira specula, columnas, regia cencula, exedras, omnia, admiratione affecti maxima, spectarunt. Helena vero felix beataque prorsus non videbatur. Fieri

non poterat ut arcarum conclave non aperiret... Tandem tanta fuit curiositas ut gravissimis Barbae Caeruleae monitis despectis, amicisque relictis, adducta sit ut conclave prohibitum ingredieretur.

III. Barba Caerulea in regiam reddit. — Quo consilio capto, Helena — corde micante — ad arcanum accessit conclave; portam, perinde ac si verba percipere vellet, manibus, tetigit, clavem per seram immisit..., cum animo cogitavit ac denique maxima cura portam aperuit.



Conclave, spissis obductum tenebris, trepidanter ingressa est statimque — timore percussa — humum sanguinis maculis plenum esse maculaeque illae imaginem multorum corporum e pariete pendentium reddere animadvertisit Helena. Ibi feminae omnes, quae Barbae Caeruleae fuerant uxores pendebant... Helena pavore commota est maximo et ita omnibus artibus contremuit, ut e

manibus clavis elapsa humum sanguine maculata ceciderit.

Nulla mora interjecta, se inclinavit, clavem accepit citatoque gradu e tetro atque nefario conclavi exiens, januam diligenter clausit. Postea in cubiculum se recepit, ibique — quia infelix commota perturbataque erat — se reficiendam curavit.

Ubi animum sedavit claviculam sumpsit, ut cum claviculario, — quod amicis tradiderat — conjungeret; sed eam sanguine esse maculatam tremefacta comperit. Semel iterumque claviculam Helena sapōne detergendam curavit, sed sanguis nunc huc nunc illud cursabat. Clavis erat fascinata.

Pavorem dissimulans amicisque omnibus vale dicto cum sorore, — cui rem patefecerat — sola in cubiculo remansit. Intempesta nocte Barba Caerulea advenit.

— «Cur citius in regiam redisti?». Uxor timore commota regem, ubi ad januam excepit, interrogavit.

— «Tibine, rediens celerrime, molestiam affero?». Negotia mea ad exitum sunt perducta; ideoque in regiam domum quam primum redii...».

Helena, ne diutius eum commoveret, laetitiam de reditu significavit maximam, regiamque ingressi, cubitum secesserunt.

IV. Helena capit is damnata. — Postridie cum e lecto surrexisset, Barba Caerulea ab uxore postulavit ut sibi regias claves traderet.

Uno conspectu rex claves omnes

inspexit statimque torvis truculentisque oculis:

— «Quare, inquit, conclavis prohibiti claviculam non tradis? Abi, abi eam quae situm mihi que citissime affer...».

Qui, clavi accepta:

— «Haec, inquit, clavis sanguine maculata est... Vidisti quod videri non poterat. In conclave prohibitum intrasti, nonne?». Animus ergo para ut interficiaris et juxta ceteras feminas quas vidisti, de conclavis parietibus suspenderis».

— «Quoniam damnata sum capit is a te postulo ut mihi parum temporis praebeas Deum precandi gratia ut mihi peccata dimittat».

— «Tibi decem minuta concedo», Barba Caerulea respondit.

Helena, tota terrore affecta, sororem — quae de re magnis, quas Barba Caerulea ediderat vocibus, certior facta erat — convenit. Et:

— «Anna, inquit, soror mea, in summam ascende turrim et oculos in planitiem conjice utrum fratres nostri veniant necne. Scis enim nobis pollicitos esse se hodie certo in regiam venturos. Si eos videris, signa da sudario ut gradum celerent».

Anna solarium ascendit orbemque finientem (*horizonte*) aspiciebat, longinqua illam aspiciebat planitem...

V. *Helena salva, in columnis fit.*
— Interdum soror anxia interrogabat:

— «Anna, mea sororcula, quispiamne appropinquat?».

Quibus Anna lacrimabili voce:

— «Solem tantum, qui purpu-

ra auroque planitem collustrat herbamque virentem, video...».

Tunc Barba Caerulea uxoris suae morae impatiens — quippe qui decem minuta jam transissent — acutissimum cepit cultrum et vociferans:

— «Cito, inquit, descende; sin autem ego te quae situm ascendam».

— «Amabo te, pauca temporis minuta mihi concede», Helena respondebat. Iterumque Annam, sororcula mea, quispiamne appropinquat?».

Et rursus idem Anna dabat responsum:

— «Solem tantum, qui purpura auroque planitem collustrat herbamque virentem, video...».

Tunc Barba Caerulea fremens:

— «Descende, Helena, aut te quae situm ego ascendam».

Et anxia interrogare pergebat:

— «Anna, sororcula mea, quid nunc vides?».



— «Pulveris nubem video quae ad nos accedit...».

— «Fratres nostri, fratres nostri...!»

— «Minime, cara soror, pecus, est ovium quod a pascuis redit...».

Iterumque Helena sollicita et moerore affecta:

— «Anna mea sororcula, quemdam appropinquantem vides...?».

— «Ita sane, in extrema planicie duos video equites qui ad nos, citatissimis equis, properant...».

Tunc Barba Caerulea tales edidit voces ut regia tota concidere videretur. Helena igitur, ne amplius irasceretur, pedetentim ex cubiculo descendebat, quae cum coram rege pervenisset, plorans, veniamque petens ad regis pedes se provolvit. Barba Caerulea vero oculis infestis manu sinistra eam aurea coma deprehendit dextraque manu acutissimum cultrum, ut in corde defigeret Helenae, cepit. Sed in ipso temporis discri-

mine, tanta vi regiae janua pulsata est ut Barba Caerulea obstupuerit.

Janua resserata, impetum in regiam fratres duo fecerunt, qui de re ab Anna moniti, Barbam Caeruleam jam fugientem petierunt atque gladiis interfecerunt.

Postea sororem Helenam humo levarunt atque quattuor fratres, animo vehementissimo commoti, amplexi sunt...

Et cum Barba Caerulea haeredibus careret omnes divitiae, villae atque aedes ipsa regia ab Helena et fratribus occupatae sunt. Et fama fert omnes una cum matre vitam placide in Barbae Caeruleae regia traduxisse.

FRANCISCUS TRILLA,
JOSEPHUS JUVÉS,
JOSEPHUS A. LABALSA,
XAVERIUS SAIGI,
JOSEPHUS BORONAT, C. M. PP.,
eorum magistro moderante
JESU ARAMENDÍA, C. M. F.

Consolatrix afflictorum

*Cum lacrimas fundo desertus noctis in umbras
 Et de corde gravi sanguinis unda fluit,
 Te precor, Alma Parens, oculos mihi verte benigne
 Suaviter inque meas balsama funde plagas.
 Ut ventus subito dispellit nubila nigra,
 Sic, mihi, cum rides, nox mea nigra nitet.*

N. MANGEOT

CYRUS REBELLIONIS SIGNUM EXTULIT

Cyrus quondam jussit Persas, qui in campo congregati erant, illum campum spinarum plenum in cultum agrum assiduo labore convertere. Postridie exquissitimiis cibis eos muneravit; ac postea ab eis quae-sivit utrum pridie an praesens dies magis delectasset. Cum autem existimarent pri-mum diem laborem et sollicitudinem, alte-rum vero delicias tantum attulisse, exclamavit Cyrus: «Viri Persae, sequimini me et in libertatem vos vindicate, hoc tunc bonum et alia plurima possidebitis, nullusque labor vobis erit ferendus; si autem servire renue-ritis hesternis similes continuos labores sus-tinebitis. Sequimini me, ego enim divina ordinatione ortus sum ad hoc manibus con-ficiendum: vos enim nihilo inferiores Medis nec reliquis gentibus, ne quidem bello esse certo credo. Quae cum ita sint, ab Astyage statim discedite!»

Eum secuti sunt; breveque Medorum re-bus Cyrus est potitus. G. CAMPO

ABACUS VENEFICUS

	1	2	3	4		5	6	7	8	
9	10	11	12	13		14	15	16	17	18
19	20	21	22		23	24	25	26	27	
28	29	30	31	32	33		34	35	36	37
38	39	40		41	42		43	44	45	46
57		58	59	50	51	52	53	54		55
56	57	58	59		60	61	62	63		

lacrimosus	43-60-9-63-52-37-2-7-39-45-53-49-29
mordet	35 1-4-26 5-27-28-11-25-30-59
cæreres	62-15-46 13-50-17-56-31-33
uvaram campi	12-6-27-8-16-3-18-47
palpo	61-22-32-51-41-5-44
lacrimans	29-21-38-42-34
animal	55-36-14-10 40
en	58-48-19-54
lit. vocalis (bis)	20-24

LEPUS ET CANIS

— His in agris nemo est qui me apprehendat; lepus quidam clamita-bat. Haec cum locutus esset, canis conspicitur. Tremuit lepus.

— «Ego, inquit canis, appre-hendam te»; utque leporem collo cape-ret, cucurrit. Lepus vero cum canem currentem vidit, in montem se pro-ripiuit.

— Vale, canis, neque appre-hendes me.

— Ita sane, sed ascensus non est tibi magnae lassitudini, nam priores pedes posterioribus breviores sunt ti-bi. Haec ambo colloquentes in sum-mum collem pervenerunt et, quam-quam invitus, lepus decurrere coepit. Cui descensus valde iniquus erat ci-toque leporem assecutus est canis. Tum lepus:

— Hei mihi, quia currere non po-tui! Et cani:

— Vitam mihi ignoscere.

— Nonne te neminem appre-hendere posse dicebas?

Fer nunc superbiae poenam. Et occisam comedit. R. VERA

PRISCARUM RERUM GESTARUM MEMORIA

Post Pharsalicam pugnam in Asiam classem Caesar praemisit unaque tantum nave Hellesponti fauces trans-ivit. Lucium Cassium iter facientem offendit navibus longis decem. Exop-tabat eum et adoriri et capere.

Hic quoque dux dicere solebat perficere oportere neque maxima priscorum gesta consulere. — M. E.

PIPER ET SAL

Quibus cordi est audire faceta quibus se delectent qui post ferratas, ut dicunt, fines, vitam degunt, en narratiunculam de reditu ex Austria illius Kruschevi curru vecti proprio viae ferratae, aliis vetito ingressu omnibus...

Primum uxore rogante quae natio esset per quam transitus tunc fieret, vir manu per apertam porrecta fenestram statimque retracta illi: «Adhuc apud Austrienses sumus».

Deinde post aliquod temporis spatium, ea rogante, conjux manu emissa statimque relata, dixit «Cecoslovachiam».

Tertium rogavit, cui et iterum nuntiatum est: «Haud dubium est quin apud Polonus simus»; manu rursus e curru extenta.

Denique, rogatus ille cum manu e fenestra passam rettulisset: «Jam in Russia, inquit, apud nostros sumus».

Cui domina: «Pro certo cum habeamus te, Nikita mi, peritissimum esse hominum, dic, sis, quo modo fiat ut manu tantum permissa per apertam fenestram apud quam nationem nos esse dicere possis».

Cui: «Nihil facilius. Cum primum nihil accedisset cognovi nos apud studiosos nullius partis esse. Deinde cum in manu positum esset osculum, certior factus sum apud Cecoslovachos esse nos. Manu tertium sputeo illitam cum vidissem intellexi nos per Poloniam viam facere. Extremum cum sensi horologium brachiale ablatum, domi nos esse cognovi».

COUTMAN FRANCIS

E Melita.

PECTEN

1	2	3	4
- L -	A	- U -	
T	O	O	E
.	-	.	.
R	A	A	S

- 1 Niger
- 2 Res
- 3 Damnum
- 4 Animus

LEO EXERCITUM SIBI INSTRUIT

Leo potens silvarum rex, cum insignem sibi exercitum instruere vellet, omnia animalia convocavit. Statim elephanto turrim cum armis imposuit ex quo rabidi lupi, militum vice fuggentes, terrorem hosti incuterent; praedam ursῳ custodiendam commendavit; simius jussus est hostem corporis motibus oblectare; vulpes insidias parare

Tunc quidam: «Quid de lepore et asino?».

Cui leo rex: «Lepus quia velox est, nobis tabellarius erit; asinus quia fortissime rudit exercitus nostri buccinator erit».

V. RUIZ

V. c. alumnus

Castro Urdiales.



Legas, venator: «carnes hujus cuniculi ad escam prorsus infestas ego veterinarius venatoribus nuntio».

C. LATORRE

DECIUS CONSUL PRO EXERCITU



Romani consules, priusquam exercitum educerent in aciem, immolaverunt. Instructis ordinibus, Romani processere in aciem; Manlius dextra, Decius laevo cornu praeerat.

Primo utrumque equis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res; deinde ab laevo cornu hastati Romani, non ferentes impetum Latinorum, se ad principes recepero.

In hac trepidatione Decius consul M. Valerium magna voce inclamat: «Deorum, inquit, ope, Valeri, opus est. Agedum, pontifex publicus populi Romani, praei verba quibus me pro legionibus devoveam».

Pontifex eum togam praetextam sumere jussit et velato capite, manu subter togam ad mentum exerta, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere:

ROMANO SE DIIS DEVOVET

•Di quorum est potestas nostro-
rum hostiumque, vos precor, vene-
tor, veniam peto oroque uti populo
Romano Quiritium vim victoriama-
que prosperetis hostesque populi
romani Quiritium terrore, formidine
morteque afficiatis...

Sicut verbis nuncupavi, ita pro
re publica populi romani Quiritium,
exercitu, legionibus, auxiliis populi
romani Quiritium legiones auxilia-
que hostium mecum Deis Manibus
Tellurique devoveo».

Haec ita precatus, lictores ire ad
T. Manlium jubet matureque colle-
gae se devotum pro exercitu nuntia-
re; ipse armatus in equum insiluit
ac se in medios hostes immisit, con-
spectus ab utraque acie.

Evidentissimum id fuit, quod,
quacumque equo invectus esset, ibi
haud secus quam pestifero sidere
icti pavebant; ubi vero corruit obrutus
telis, inde jam haud dubie con-
sternatae cohortes Latinorum fugam
ac vastitatem late fecerunt...»



SCIURUS SUPERBUS

Tereti et parvo capite, oblongo rostro, erectis insuper auriculis sciurus quidam fuit, cui oculi perspicaces et cauda pilis cooperta toto corpore latior; inerat in eo maxima omnium calliditas, et summa pernicitas seu pedum velocitas. Tot atque eximiae virtutes duobus aequabantur vitiis: sui ostentatione et inani gloria, atque inexplebili escarum appetentia.

Summa in arbore fructus nucesque casu oculis conspexit, jamque sibi nactas creditit Caudilla, tale est ipsa cognomen adepta. Res fortiter aggredi solita, opus tunc omnibus insciis adorta est. Quippe quod adeo dulces maturaueque sibi videbantur, adeo dulces ut cujusvis salivam moverent; igitur cunctae ipsi soli nuces.

Quae cum ita sint, quo fieri potest, repit, arboremque descendit; nuces tamen sic extrema in summitate pendebant ut saltu tandem arripiendae et nanciscendae essent.

Dictum factum, sed miserando ictu, pro dolor!, male spatium emensa, flectuntur rami, magno lapsu volvitur Caudilla...


Mirum atque inopinatum miraculum et prodigi simile! Crediderim sciurum pro tormento displosisse, secum cogitavit alauda.

Caudilla submisso vultu factum simulare contendit cum toto corpore membra dolore frangerentur. Praeterea tota rubore suffunditur Caudilla. Quod supplicium in dies adauget exagitatque oculatus socius et amicus, ultiro citroque ab ea quaerens: «qua de causa arbores non ascendis? Cur claudio incedis pede? Quare adeo inornatam gestas caudam? Quis tantus animo incessit maeror?».

His plenus superbiae sciurus responsum nullum dabat incompositamque caudam novi esse usus dicebat. Postremo, ut finem quaeatis imponeret et amicum devitaret, saltum intre et pedibus abire quam celerrime parat Caudilla furore atque superbia accensa. Prohibetur tamen motibus et totius corporis cruciatu. Lacrimis tandem subortis et ululatu imprudentiam et cupiditatem suam confitetur. Maerore confecta et altero pede saliens, socio vale dixit dum nuces ab alto quadamtenus irridere irritos nixus Caudillae videbantur...

Bonis Auris.

R. SARMIENTO



SCALAE SUBLIMES

- 4 · 1 Numina
11 · 2 Saeva
7 · 3 Motis digitis tor
queo
8 · 5 Opinatum
12 · 6 Fac
10 · 13 Tuba
14 · 15 Contritam
16 · 17 Consuetudinem
9 · 4 Condimenta para

Si quae verba proponuntur in alta mutaveris ejusdem significacionis, et syllabas per numeros apte divisoris, tritam percipies sententiam.

VIA RECTA

Custodem urbanum in quadrivio stantem ad vehicula, dum pertranseunt, moderanda interrogat quidam:

— Plateam. «Libertatis» quaero. Mihi indicare velis qua eam?

— Facile tibi est.

Et manu indicans: «Illuc, recta ambula.»

At ille, qui vino plus aequo indulserat et quem debilitata potu crura vix sustinebant:

— Recte ambulare!, inquit, tu hoc facile credit?

Miles commilitonis nasum momordit, a quo, ne id duci deferret, petivit. At continuo dux de industria commilitoni laeso obvius factus, interrogat:

— Quisnam nasum tibi momordit?

— Quisnam? Egomet.

— Tutemel! Qui tantam fecisti rusticitatem? Animal!

— Haud difficulter: Sellam concendi et...

Artaxonae.

M. ITURRIA

IV cursus alumnus

MORBO SUBITO CORREPTUS

— O miserum hominem! Subito morbo correptus est!

— Mortuus esse mihi videtur!

— Mihi quoque!

Tunc vero infelix, humi stratus, segniter caput movet oscitansque comitibus:

— In pharmacopolium ite, inquit, medicinamque petite ad spasma medendum.

— O, quid dicit!

— Subito morbo epileptico laborare soleo

— Eja! Haud parum loquitur cum sit mortuus!


— Et quam insueta profert verba! Nihil melius quam mortuum esse credamus cum tam rara loquatur!

ARCHIDAMUS

Archidamus, Arcesilaus filius, cum catapultam ex Sicilia primum allatam miraretur, exclamavit: «O Hercules, abhinc hominis virtus non ipso pondere aestimabitur!»

M. M. MARTÍNEZ

TRIANGULUS MAGICUS



1. Imperator Romanus

2. Ovis mas

3. Coniunctio

4. Sorex (*litteris versis*)

5. Libra

6. Consonans

ANTONIUS ANDRÉS

STELLA BELLA MI MICA

Musica vulgaris

Verba Prof. SIDNEY MORRIS

Stella bella mi mica
miror quid sis natura.
Resplendes ex spatio
Velut gemma in caelo.
Ubi fervens solabit
neque jubar impertit,
parvam ostendis lucem,
micens, micens per noctem.

Stella bella mi mica;
miror quod sis natura.
Resplendes ex spatio
Velut gemma in caelo.
Ubi fervens sol abit
neque jubar impertit,
parvam ostendis lucem,
micens, micens per noctem.

Te viator pro tua
benedicit scintilla;
qua negata, quo eat
ille prorsus nesciat.
Ex caeruleis in villas
despicis per fenestras.
Numquam claudis ocellos
dum sol edat radics.

— Quid facis, Antoni?
— Me suspendo.
— Quo modo vis suspendio perire, nodo in
pectore? Circumpone jugulo.
— Jam feci, sed mihi spiritus interclude-
batur...

L. PARICIO

— Quid luna soli dixit?
— Miror quod tibi non licet noctu extre
et deambulare...

SECUNDUS RUBIO

SOLUTIONES :

Cfr. PALAESTRA ADULESCENTIUM.

Ad saltum equi (p. 374): Numquam periclit
fuga committendum est, ut imbellies timidi-
que videamur (CICERO).

Triangulus magicus (p. 375):

1	2	3	4	5	6
C	I	C	E	R	O
I	N	I	R	E	
C	I	V	I		
E	R	I			
O					

THEODORUS MOMMSEN

In historia latina jureque admodum ver-
satus cum quondam domum rediret, ex puel-
la obviā facta quaequivit: «Dic mihi, queso,
ubi Mommsen habitet». Puella obstupefacta:
«Pater, inquit, te domum comitabor».

Idem per urbem Berolinum incedens su-
bito in tergo aliecius ante euntis plumbo
scribere coepit. Ille attonitus se convertens
dixit: «Delirare videris». Experrectus Mom-
msen e somno docto respondit: «Ignoscas ve-
lim. Me enim in auditorio maximo esse et in
tabula scribere putabam».

N. MANGEOT

IN CAUPONA

Audi, puer cubicularie, capillum in jure
inventi...

- «Noli anxius esse..., capillus est angelus»
- «Capillum angelii dicis?
- «Ita sane, capillus est ANGELI, domus
coqui...».

A. LÓPEZ

Fuit quondam ita macer et gracilis homo
ut sibi vestem mille linearum emerit eique
nongentae nonaginta novem superfuerint...

JACOBUS FUNES

BIBLIOGRAPHIA

J. F. NIERMEYER. — *Mediae latinitatis lexicon minus*. Fasciculus 9. Pag. 769 854. Leiden, E. J. Brill, 1962.

Clarus vir Niermeyer, in Universitate Amstelodamensi professor, summa diligentia sollertiaque hoc maximi momenti Lexicon edendum curat. Fasciculus nonus hic, a voce vero «*pascuaticus*» ad vocem «*prosecutor*», protrahitur. Mediā quidem latinitatem ad unguem callet eruditus auctor, qui eidem aere perennius monumentum hoc opere exigit.

Sunt hoc in fasciculo voces, quarum quasi historia perficitur absolviturque, ut: *pastus*, *patria*, *patricius*, *pax*, *peculiaris*, *persona*, *placitare*, *placitus*, *plebs*, *portus*, *potestas*, *praebenda*, *precarius*, *praefectura*, *praefectus*, *praepositus*, *princeps*, *proprius*, cet.

Ratio autem et via hujus modi Mediae Latinitatis dictionarii appiūme a nostris lectoribus cognoscitur. Conversio verborum in linguam gallicam et anglicam id quidem efficit, ut amplissima sit provincia huic operi divulgando. Quod nulla in praestanti bibliotheca desiderari in posterum, omnium quidem sententia, poterit.

MICHEL JACQUES. — *Grammaire de base du Latin*. Collection Via Nova. Pag. 374. Editions de Sikkel, S. A ; 116, Lamorinièresstraat, Anvers Belgique.

Cum sanae paedagogiae normis, tum regulis probatae scientiae hic liber apprime commendatur. Rei distributio juxta schema traditum; frequens «paradigmatum», usus, atque haec intellectu facilissima; exempla selecta, brevia, apta; synthesis ratio sub tabularum comparativarum forma; typi varii, ilque hinc inde scite distincti: en quaē tibi hoc opus et facile et sūcundum reddent.

In septem partes materia est tota distributa. I. Phonetica (pp. 8-23). II. Morphologia (pp. 24-151). III. Verborum formatio (pp. 152-160). IV. Syntaxis (pp. 161-308). V. Stilistica

(pp. 309-318). VI. Metrica et Prosodia (pp. 319-328). VII. Calendarium, pondera, mensurae, breviationes (pp. 329-358). Index vocum, et amplius et perspicuus, consequitur (pp. 333-358). Tum index analyticus nomenclatura breviationum et materialium tabula (pp. 359-374).

Praefatio, a clarissimo viro Mauricio Leroy, in Universitate Bruxellensi Professore, erudite exarata est. In octo primis paginis, notitiae de grammaticae usu; auctores et opera in exemplis memorati; introductio de lingua latina, ut Indoeuropaea lingua, ut dialecto Italica, ut initio linguarum romanearum; notiones de historia linguae latinae.

Alumnis latinitatis, in disciplina autem media, opus hoc longe aptissimum. In quo via et ratione habent, quid sit grammatica, in suo dupliciti aspectu: ut disciplina speculatrice, ut disciplina praeceptrice.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

A. ULLMANN. — *Précis de sémantique française*. Seconde édition. Pag. 352. 20 x 14. Editions A. Franke, Berne.

Hoc volumen in BIBLIOTHECA ROMANICA, novum edendum curat W. von Wartburg. Libri manuales et Commentationes primam seriem componunt. Quidquid vero ad disciplinam linguae gallica pertinet, juxta placita sapientium nostrae aetatis, hoc in libro aptissime colligitur, opera clari viri et Professoris S. Ullmann.

En tibi sciti hujus libri quasi itinera: 1. Processus rei generalis (pp. 1-46). 2. Sonorum gallicorum functiones semanticae (pp. 47-71). 3. Vox gallica (72-100). 4. Verba «arbitraria» et verba «ratioinativa» (pp. 101-131). 5. Genius vocis (pp. 132-146). 6. Affectiva verborum aestimatio (pp. 147-179). 7. Synonymia (pp. 180-198). 8. Polysemia (pp. 199-218). 9. Homonymia (pp. 219-235). 10. Quare verba mutant sensum (pp. 236-269). 11. Quo pacto

verba sensum mutant (pp. 270-298). 12. Vocabulari structura (pp. 299-318).

Nonnullae paginae «Additionum» consequuntur (pp. 319-334), eaeque maximi quidem momenti, cum extremas —a prima libri editione— hujus disciplinae inventiones via et ratione expromant. Bibliographia vero ad nostram memoriam protrahitur (pp. 335-339), cum de semanticā generali, tum de semanticā gallica. Index libri commodissimus ad innumerā fere quaestūnculas, quasi prima fronte, dētēendas (pp. 340-350). Denique rerum tabella perspicua.

Lectu facile opus, quod amplioris campi lectoribus dicatur: altud erat auctoris propositum in «Principles of Semantics», anno edita in serie «Glasgow Publications».

A. MARQUÉS, C. M. F.

GODEL R. — *Une Grèce secrète...* Société d'éditions «Les belles Lettres», 95, boulevard Raspail, Paris, 1960. Pag. 262.

Et qui hunc legerit jucundissimum librum, socium eum fidelemque amicum —iter per Graeciam spiritale facientem— habiturum promittimus.

Lector Graeciae studiosus mente et cogitatione —sed reapse— amoenas regiones, sacras aedes, delubra peragrabit atque perlustrabit; in familiaritatem Euripides ventet et Heracliti, Xenophantis, Permenidis, Hippocratis, loca hominesque vivos, hodiernos comperiet omnes admiratione affectus...

Si hoc addis quod cl. auctor Rogerius Godel modo scribendī lepidissimo, fluido utilit atque perlucenti lumine pleno, librum —experti loquimur— maxima tibi fore voluptati pro certo habemus.

Licet opus, quod tibi offerimus, quīndicim constet capitulo, res tamen libri tota ad haec redigi potest: a) Gratiae et dī; b) Mysteria sacra Salaminae Eleusine, Delphorum, Olympiae facta, aliaque apud Graecos veteres sacra; c) Quid de mysteriis philosophi Graeci senserint; d) Lexicon de dīs, de locis quos dī deaeque maxime amarunt, de rebus quae ad mysteria graeca cognoscenda maximi sunt ducendae.

Brevis additur bibliographia indexque de libro universus.

JESUS ARAMENDA, C. M. F.

H. STERN — *Recueil général des Mosaïques de la Gaule. I. Gaule. Belgique. 1. Xe supplément à «Gallia». Centre National de la Recherche Scientifique, 13 Quai Anatole-France. Paris, VII.*

Sub inscriptione illa GALLIA nobilissimum exhibetur opus, ubi suffosiones et monumenta archaeologica Galliae metropolitanae recensentur. Adhuc quīndecim volumina edita sunt, Moderate «Centre National de la Recherche Scientifique». Huic autem magnifico operi supplementa adduntur, quorum decimum hoc, a clarissimo viro Henrico Stern diligentissime elaboratum.

Dicatur vero provinciae Belgarum cognitioni, in ejusdem parte orientali. Ampla topographicā explicatio primam hujus fasciculi partem compleat (pp. 11-20) et propositum auctoris et operis artem perspiciles Praefationem confecit clarissimus vir Alfridus Merlin, Instituti collega. Opus editur sub auspiciis Academiae Inscriptiōnū et Bonarum Litterarum.

VIVES COLL ANTONIO. — *Luciano de Samosata en España* (1500-1700). Pag. 210. 24 x 17. Universidad de La Laguna, Secretariado de Publicaciones. Server-Cuesta. Valladolid.

Monographia ad lauream obtainendam, in Universitate Matritensi paucis abhinc annis, modo in lucem editur hinc inde perpolita atque exornata. Quae apud nostreates, inter annos 1500-1700, tradita sunt de Luciano Samosatis nato fere hic referuntur vel ad criticas trutinam revocanda vel ratione historica conferenda.

Plures codices in praecipuis bibliothecis avide asservati a praeclaro scriptore sunt perfecti, quibus notitiam quam amplam nobis daret de influxu polygraphi Luciani Samosatent in litteris hispanicis.

Quaedam praelibantur de diffusione scriptorum Luciani extra Hispaniam. Interpretes hispanici numerantur et expenduntur. De ejus in Hispania influxu disseritur. Bibliographia accurata, indices commodi, animadversiones ad rem opportunae, quin tamen textus graecos prolixiores non desiderare possimus.

A. MARQUÉS, C. M. F.